in bona fide esse censendi sunt. Resp. II. Dato, quòd plures *Infideles* ex ignorantia invincibili, & bonâ fide resistant Baptismo suæ prolis; tamen exinde nullum competit parentibus Jus naturale, ne ipsis invitis proles eorum baptizetur, nec fit illis injuria, si eis invitis proles baptizetur; quia, sicut non fieret injuria, si invito Rustico Catholico ex invincibili ignorantia necessitatem Baptismi ignorante, proles ipsius à Parocho baptizaretur; quia invincibilis ignorantia, & bona fides parentum etiam *Infidelium* non facit, nec excusat, quin Baptismus proli sit necessarius, & hæc sine illo pereat; neque facit, quin proles Jus divinum naturale habeat ad Baptismum: consequenter parentes non habent jus naturale, ne baptizetur, nec fit eis injuria contra jus naturale, si invitis eisdem baptizetur, aliàs jus naturale manifestè sibi esset contrarium, ut consideranti patet. Et per hoc patet sufficienter responsio ad rationem in contrarium *num.* 51. allegatam.

58 Ad illud, quod *num.* 51. dicitur, *ob periculum perversionis Baptismo fieri injuriam.* Resp. Plurimas esse vias, quibus tale periculum evitetur, etiam absque hoc, quòd proles à parentibus separetur, ut si v. g. sub eorum cura usque ad usum rationis relinquatur, & posteà primùm separetur; prout absque injuria parentum fieri posset, quia tunc proles in iis, quæ contra salutem animæ, obedire non teneretur, sed potiùs Ecclesiæ, cujus membrum mediante Baptismo priùs collato jam esset effectum. Dein negari potest, ob periculum futuræ Apostasiæ fieri injuriam Sacramento Baptismi, conferendo illud intanti *infideli*: sicut enim non obstante periculo relapsûs, nulla fit injuria Sacramento Confirmationis, Eucharistiæ &c. ita etiam nulla dici debet fieri injuria, si stante periculo Apostasiæ confertur infanti *infideli*. Præsertim quia non obstante tali periculo apud plures optimum effectum habere potest, illos nempe, qui adhuc ante usum rationis moriuntur, qui utique sunt multi; & illos, qui contra legem naturæ non peccant, & bonâ fide contra præcepta Ecclesiæ agunt, utpote qui sic Baptismo provisi, æternum salvarentur. Plura de hâc materia, qui cupit, videat Mastrium *loc. cit.*

TITULUS VII.

De Hæreticis.

1 *Ratio continuationis, nec non laus Italorum, & Hispanorum, ac econtrà negligentia Germanorum in hac materia.*

1 POst præcedentem Titulum, in quo agebatur de iis, qui Baptismo carentes, Deum blasphemant vel negando, vel malè colendo, recto ordine sequitur de iis, qui Baptismo jam imbuti Deum inhonorant à vera Fide deficiendo, quales sunt Hæretici. De quibus ad hanc Rubricam fusè agunt, Canonesque, Jura & Leges contra illos emanatas exactè observant Itali, & Hispani; idque sanctè & meritò: sic enim à pestifera, & maximè nociva Hæresi Provincias suas conservârunt, & etiamnum conservant immunes: Dum econtra Germani negligendo, & transgrediendo præfatos sanctissimos Canones & Leges in causa fuère, quòd Hæresis successivè in tantum invaluerit, ut non solùm integra Regna, & Provincias illâ infectas videre, sed insuper pati debeant, quòd Hæretici in memoratis Provinciis plures Episcopatus, ac bona illorum possideant, totaque in Germania plenam cum Catholicis communicationem habentes ferè sine omni pœna in Hæresi liberè vivant, factis ad id etiam publicis pacis tractatibus, & fœderibus. De quorum valore infrà §. *IV.*

§. I.

De Natura, ac Divisione Hæresis, & Hæreticorum.

SUMMARIUM.

2 *Hæresis unde dicta?*
3 *Hæresis formalis quid?*
4 *Requiritur ad eam error in intellectu, & pertinacia voluntatis.*
5 *In quo consistat hæc pertinacia.*
6 *Externè tantùm negans fidem, non est Hæreticus.*
7 *Nec internè errans circa illam, si paratus sit se submittere judicio Ecclesiæ. Et n. seq.*
9 *Etiamsi ex ignorantia crassa erret circa fidem.*
10 *Hæreticus est, qui dubitat de fide, vel aliquo fidei articulo*
11 *Sufficienter proposito.*
12 *Hæresis alia est formalis, alia materialis.*
13 *De Vulgo Hæreticorum plurimi sunt materiales.*
14 *Observatio practica circa Hæreticos vulgares, & praxis eos faciliter ad Fidem reducendi.*
15 *Hæresis formalis alia est externa, alia interna.*
16 *Externa, alia publica, alia occulta.*
17 *Hæresis, & Hæretici dividuntur pro diversitate Hæresiarcharum, quos sequuntur.*
18 *Enumerantur in specie Hæreses antiquæ.*
19 *Enumerantur in specie etiam recentiores.*
20 *Recentissimæ quoque in specie recensentur.*
21 *Etiam Jure Civili omnes censentur Hæretici, qui vel leviter dissentiunt à judicio Catholicæ Religionis.*

QUæritur I. Quid sit Hæresis? & quid Hæreticus? 2 Ante Responsionem nota, Hæresin esse verbum Græcum, idem ac electionem, vel eligere ac sectari significant, eò quòd sit novæ, & à communi Ecclesiæ, & Spiritûs sancti vero sensu alienæ doctrinæ, & opinionis electio, aut secta, *can. Hæresis* 27. & *can. Hæreticus.* 28. *cau.* 24. *quæst.* 3. Hoc notato,

Resp. I. *Hæresis formalis* (hanc siquidem hîc de- 3
finimus & non materialem, de qua infrà) *est error voluntarius, quem homo baptizatus pertinaciter tenet contra aliquam veritatem Fidei Catholicæ.* Ita in re cum communi Catholicorum S. Thomas 2. 2. *quæst.* 11. *a.* 1. Farinacius *Prax. Crimin. quæst.* 178. *num.* 5. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 7. *numero* 1. Pirhing *h. t. num.* 1. & alii. Dicitur notanter, *homo baptizatus*; quia errores, quos non baptizati, v. g. Turcæ, Gentiles, Judæi contra Fidem Catholicam habent, non *Hæreses*, sed Paganismi, vel Judaismi sunt, & vocantur, ac propterea pœnis *Hæreticorum* ab Ecclesia in hos latis non subjacent, uti post Suarez *Disp.* 19. *de Fide. sect.* 5. bene observat Pirhing *h.t. num.* 3. *arg. c. Odia. de Reg. Jur. in* 6.

Resp. II. Ad *Hæresin formalem* duo copulati- 4
vè requiruntur, nimirum error in intellectu, & pertinacia in voluntate. Communis & certa *arg. can. Dixit Apostolus* 29. & *can. qui in Ecclesia.* 31. *cau.* 24. *quæst.* 1. Et quidem quòd requiratur *error*, id est erronea opinio, vel judicium intellectûs contra Fidem Catholicam, patet; quia Hæresis est species infidelitatis, hæc autem importat errorem intellectûs contra veram Fidem, ut notant Theologi. Quòd verò requiratur pertinacia ex parte voluntatis, clarè habetur ex *c. Dam-*

Damnamus. 2. *de Summa Trinitat. & cit. can. Dixit Apostolus.* 29. *cau.* 24. *q.* 3.

5 Solùm notandum, pertinaciam ex parte voluntatis ad constituendam *Hæresin* requisitam non consistere in hoc, quòd quis acriter, & quasi mordicus diu retineat; defendat, vel tueatur errorem contra fidem, sed in hoc, quòd hujusmodi errorem retineat, postquàm contrarium eidem sufficienter jam est propositum, vel etiam quando scit, contrarium teneri à vera universali Ecclesia Catholica, cui judicium suum præferre præsumit, prout bene cum communi aliorum advertit Mastrius *in Theolog. Morali disput.* 10. *numer.* 24. Ratio est; quia in rebus Fidei quilibet tenetur se subjicere judicio, ac definitioni Ecclesiæ, utpote *quæ est columna & firmamentum veritatis*, 1. ad Timoth. 3. ita, ut *portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Matth. 16. ℣. 18. Hinc qui hoc facere renuit, jam plus nimio, & superbè adhæret propriæ opinioni, vel judicio suo erroneo, consequenter pertinax in suo errore est. Cæterùm ex dictis

6 Infertur I. Eum, qui metu mortis, vel ex alia causa negat exterius Fidem, aut aliquid Fidei contrarium affirmat absque interriori mentis assensu, quò verum credat, quod ore profert, graviter quidem peccare contra præceptum profitendi Fidem, propriè tamen, ac verè *Hæreticum* non esse. Navarrus *in Manual. cap.* 27. *numer.* 56. Sanchez *loc. cit. cap.* 7. *numer.* 8. & communis aliorum: Ratio est; quia *Hæresis* essentialiter consistit in interno judicio erroneo intellectûs contra Fidem, quale hîc non adesset. Nihilominùs in Foro externo talis censeretur *Hæreticis*, & ut *Hæreticus* meritò puniretur, quia *Ecclesia non judicat de occultis. c. Sicut tuis, de Simonia.*

7 Infertur II. Quòd ex ignorantia errans contra Fidem, simul tamen judicio Ecclesiæ sese submittens, paratus credere, quod illam credere intellexerit, non sit *Hæreticus*; quia in suo errore non est pertinax contra Fidem, *arg. c. Damnamus.* §. *In nullo tamen. de Summa Trinitat.* junctâ Glossâ *ibid.* ℣. *Paratus.* ubi hac de causa Joachim Abbas non censetur *Hæreticus*, non obstante quòd docuerit sententiam *Hæreticam* ibidem damnatam; quia videlicet Scripta sua submisit judicio Sedis Apostolicæ, sicque non fuit pertinax. Unde S. Augustinus relatus *c. Dixit Apostolus.* 24. *q.* 3. sic ait: *Qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam, nullâ pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audaciâ suæ præsumptionis pepererunt, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cautâ sollicitudine veritatem, corrigi parati, cùm invenerint, nequaquam sunt inter Hæreticos deputandi.* Hæc ibi.

8 Hinc Fagnanus *in c. Damnamus. de Summa Trinitat. num.* 25. ait de Joachim Abbate, quòd stante suâ protestatione, quam ibidem verbatim refert, non fuerit Hæreticus, sed erraticus: quia noluit discedere à Christo. Est autem differentia inter *Erraticum*, & *Hæreticum*: nam simplices homines (seu qui ex simplicitate errant circa Fidem, tamen suam opinionem Fidei Ecclesiæ supponunt) sunt *Erratici* quia errant; & tamen non sunt *Hæretici*, quia nolunt à Christo discedere, ut post Baldum loquitur Fagnanus *in c. Firmiter. de Summa Trinitat. num.* 20. Concordat *c. Hæreticus est.* 24. *q.* 3. ibi: *Ille autem, qui hujusmodi hominibus hæreticis credit, homo est imaginatione quadam veritatis & pietatis delusus.*

9 Imò addunt Doctores ab *Hæresi*, & pœnis *Hæ-*

ticorum immunem esse quoque illum, qui ex ignorantia etiam crassa, & supina, ac mortaliter culpabili ignorat, errorem suum, seu opinionem erroneam veræ Fidei, & veræ Ecclesiæ esse contrariam. Farinacium *in Prax. Crimin. q.* 179. *à num.* 29. Sanchez *loc. cit. cap.* 7. *num.* 20. Pirhing. *h. t. num.* 2. Layman *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 13. *nu.* 2. cum Communi. Ratio est; quia ad huc deest pertinacia, quæ requirit scientiam, quod pertinacis opinio, vel judicium adversetur, veræ Fidei, aut Ecclesiæ. Accedit, peccatum *Hæresis* non esse peccatum ignorantiæ, sed infidelitatis positivæ, ad quam requiritur scientia, contrarium teneri à vera Ecclesia. Confirmatur; quia aliàs plurimi inter Catholicos essent *Hæretici*; cùm plurimi ex ignorantia etiam culpabili versentur in erroribus, & opinionibus erroneis universali Ecclesiæ contrariis. Sed

Quæritur II. Num etiam censeatur *Hæreticus* 10
formalis, qui positivè dubitat de Fide, vel aliquo illius Articulo sufficienter sibi proposito, pertinaciter afferendo, vel judicando, non esse omninò certum, vel esse dubium, an sit certus, vel verus talis Articulus Fidei? Resp. Affirmative. D. Thomas 2. 2. *q.* 10. *a.* 5. & *q.* 11. *art.* 1. Abbas *in c.* 1. *h.t. num.* 1. Pirhing *h. t. num* 4. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 7. *num.* 12. Sylvester ℣ *Hæresis.* 1. *q.* 3. cum communi aliorum. *arg. c.* 1. *h. t.* ibi: *Dubius in Fide infidelis est. c.* 1. *de Summa Trinitat.* & *Clem.* 1. §. *Porro eod.* juncto Symbolo S. Athanasii, ibi: *Nisi fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* Ratio principalis est; quia inter alios Articulos Fidei, unus, & quidem principalis est, veram Ecclesiam in cunctis Dogmatibus Fidei esse infallibilem & certam; qui autem etiam de uno duntaxat dubitat, jam hoc ipso non credit, eam esse infallibilem & certam; consequenter *Hæreticus* est. Accedit, quòd dubitans de Fide, Fidem destruat, cùm Fides in homine fideli firmitatem in credendo supponat, *c.* 1. *de Summa Trinitat.*

Dicitur autem notanter *De Articulo sibi suffi-* 11
cienter proposito; ex hujus enim defectu *formales Hæretici* non sunt, qui inter Hæreticos nati & educati, de uno, vel pluribus Articulis dubitant, donec sufficienter instruantur; quia deest pertinacia, uti cum Laymano, & aliis jam diximus *in Theologia nostra Morali, Tr.* 4. *disp.* 4. *q.* 2. *num.* 21.

Quæritur III. Quotuplex sit? seu quomodò 12
dividatur Hæresis? Resp. Hæresin primò dividi in *Materialem*, & *Formalem.* Materialis est (quæ tamen inter veras hæreses numeranda non est juxta textum *can. Dixit Apostolus. cau.* 24. *q.* 3. allegatum suprà *num.* 7.) quando quis non malo animo, aut ex pertinacia, sed ex simplicitate, aut defectu debitæ informationis, vel ex positivè sinistrâ informatione errat circa fidem.

Tales *Hæretici Materiales* iterùm plurimi sunt 13
in vulgo hæreticorum, præsertim talium, qui inter Catholicos non vivunt; hi enim cùm verâ, & sufficienti informatione destituti simpliciter credant ea, quæ à parentibus, vel prædicantiis suis pro fidei Articulis audiunt, voluntarium errorem intellectûs cum pertinacia non habent, consequenter *Hæretici* non sunt. Imò *Hæretici formales* non sunt, etsi sciant eorum fidem, & opinionem in plurimis adversari Ecclesiæ Romanæ Catholicæ, casu quo ex simplicitate, aut defectu sufficientis informationis ignorant, aut non credunt eam esse veram Ecclesiam, sed ex mala, mendaci, & falsa informatione potiùs putant, & credunt, eam esse falsam Ecclesiam; econtrà suam Religionem & Ecclesiam esse veram, prout apud plurimos in dicto vulgo res se habet, prout ex Mastrio & aliis

etiam jam diximus *in Theologia nostra Morali Tr. 4. disl. 4. num. 19.*

14 Illud tamen circa hoc notandum, Spiritum sanctum etiam his hominibus tot lumina & inspirationes largiri, Angelosque eorum Custodes tot admonitiones, occasiones, & circumstantias præbere, ut nonnunquam de sua falsa Secta necessariò dubitare saltem debeant, in quo casu occasione præsertim habitâ, utrique indagare, & intereà bonam voluntatem habere debent, quòd, si scirent, se in vera Religione non esse, vel errores *veræ Ecclesiæ* adversos habere, illico falsam Sectam cum erroribus dimittere, & econtrà veram Religionem amplecti, veræque Ecclesiæ adhærere vellent. Quod summo cum fructu ordinariè suadetur illis *Hæreticis*, qui inter Catholicos permixti vivunt; licèt enim etiam isti ob malos habitus, & pessima à parentibus, & prædicantiis haustam informationem difficillimè ad credendum induci, ac persuaderi valeant, eorum Sectam esse falsam, & nostram Religionem veram, tamen faciliter eis talis remonstratio ad oculum fieri potest, ut necessario saltem dubitare debeant, quo dubio causato ulteriùs faciè eis remonstratur, quòd veritatem sepositò omni inordinato affectu magis indagare, & intereà præfatam bonam voluntatem habere teneantur; hanc enim veram si habent, jam hoc ipso ab *Hæresi formali* immunes, *cit. can. Dixit Apostolus. cau. 24. q. 3.* & ita dispositi sunt, ut plenè converti facilius valeant, Deo bonam voluntatem respiciente, & facienti, quod est in se, gratiam non denegante.

15 *Hæresis formalis* ulteriùs dividitur in *Externam*, & *interna*m, seu *mentalem*. Hæc seu *interna* est, quæ in corde, seu mente retinetur, & nec verbis nec facto externè manifestatur. *Externa* est, quæ internè vigens, verbis, vel facto aliquo externo sufficienter externè exprimitur.

Externa ulteriùs dividitur in *occultam*, & *publicam*, seu manifestam. Hæc est, quæ palam, & coram pluribus externè manifestatur. *Occulta* est, quæ verbis, vel facto, signove externo aliquo proditur, vel nemine, vel uno, alterove solummodò præsente, & audiente: ut si quis nemine prorsus præsente, & audiente secum iple discurrens *Hæresin* mente conceptam ore proferret, dicendo v. g. *planè non credo Deum esse Trinum & unum*: vel *credo Christum esse solum hominem, vel sub speciebus consecratis Christum non existere*. Et hæc *Hæresis*, quia verè est, & dicitur *externa*, quantumvis occulta sufficit ad incurrendas pœnas, nec requiritur, ut sit publica, dummodò alias requisitas conditiones habeat, juxta amplius dicenda infrà §. *V.*

17 Porro *Hæresis* hactenus explicata ulteriùs dividi potest in varias, ac plurimas Sectas, tot nempe, quot sunt errores circa Fidem, quos quædam Communitates certum sequentes *Hæresiarcham* tenent, quæ olim fuêre, ac etiamnum plurimæ sunt. Antiquas enarrant S. Epiphanius, & S. Augustinus *lib. 2. de Hæresi*. Eædem ex antiquo S. Patre Isidoro enarrantur *can. Quidam autem. 39. cau. 24. q. 3.* quas per extensum de verbo ad verbum hic adducere placuit, ut recentiores Hæretici videant, eorum Sectam, & falsam Religionem ab antiqua Ecclesia; quam veram fuisse & infallibilem ipsi fatentur, jam fuisse damnatam, consequenter ipsos ex propria confessione veros esse Hæreticos; sic ergo ex S. Isidoro sonat citatus *can. Quidam autem. cau. 24. q. 3.*

Quidam autem Hæretici, qui de Ecclesia recesserunt, ex nomine Auuctorum suorum nuncupantur; quidam verò ex causis, quas eligentes instituerunt.

18 Simoniaci *dicti à Simone magicæ artis perito, cui Petrus in Actis Apostolorum maledixit pro eo, quòd ab Apostolis Spiritus sancti gratiam pecuniâ emere voluisset. Hi dicunt, creaturam non à Deo, sed à virtute quâdam superna creatam.*

Menandrini *à Menandro mago, discipulo Simonis nuncupati, qui Mundum non à Deo, sed ab Angelis factum asserut.*

Basilidiani *à Basilide appellati, qui inter reliquas blasphemias Jesum passum abnegavit.*

Nicolaitæ *dicti à Nicolao Diacono Ecclesiæ Hierosolymorum, qui cum Stephano & cæteris constitutus est à Petro, qui propter pulchritudinem relinquens uxorem dixerat, ut qui vellet, eâ uteretur: versa est in stuprum talis consuetudo, ut invicem conjugia commutarentur. Quos Joannes in Apocalypsi improbat dicens: Sed hoc habes, quod odisti facta Nicolaitarum.*

Gnostici *propter excellentiam scientiæ se ita appellare voluerant: Animam naturam Dei esse dicunt: bonum & malum Deum suis dogmatibus fingunt.*

Carpocratiani *à Carpocrate quodam vocantur, qui dixit Christum hominem fuisse tantùm, & de utroque sexu progenitum.*

Cerinthiani *à Cerintho quodam nuncupati. Hi inter cætera circumcisionem observant: mille annos post resurrectionem in voluptate carnis futuros prædicant. Unde & Græcè* chiliastoi, *latinè Millenarii sunt appellati.*

Nazaræi *dicti, qui dum Christum (qui à vico Nazareus est appellatus) filium Dei confitentur, omnia tamen veteris Legis custodiunt.*

Ophitæ, *à Colubro nominati sunt. Coluber enim græcè* Ophis *dicitur, colunt Deum serpentem, dicentes, ipsum in Paradisum induxisse virtutis cognitionem.*

Valentiniani, *à Valentino quodam Platonico sectatore vocati, qui græcè Anthropos, id est sæcula quædam in originem Dei Creatoris induxit: Christum quoque de Virgine nihil corporis assumpsisse, sed per eam, quasi per fistulam transiisse asseruit.*

Appellitæ, *quorum auctor Appelles fuit, qui creatorem Angelum nescio quem gloriosum superioris Dei faciens, Deum legis Israel illum igneum affirmans dixit, & Christum non in veritate Deum, sed hominem in phantasia apparuisse.*

Archontiaci *à principibus appellantur: qui universitatem, quam Deus condidit, opera esse Angelorum defendunt.*

Adamiani *vocati, quòd Adæ imitentur nuditatem. Unde & nudè orant, & nudi inter se Mares, fœmineque conveniunt.*

Cainiani *inde sunt appellati, quia Cain adorant.*

Sethiani *nomen acceperunt à filio Adæ, qui vocatus est Seth, dicentes eundem esse Christum.*

Melchisedechiani *vocati pro eo, quòd Melchisedech Sacerdotem Dei, non hominem fuisse, sed virtutem Dei esse arbitrabantur.*

Angelici *vocati, quia Angelos colunt.*

Apostolici *hoc sibi nomen ideò sumpserunt, quòd nihil possidentes proprium nequaquam recipiant eos, qui aliquo in hoc Mundo utuntur.*

Cerdoniani *à Cerdone quodam nominati, qui duo contraria principia asseruit.*

Marcionitæ *à Marcione Stoico Philosopho appellati: qui Cerdonis dogma secutus, alterum bonum, alterum malum Deum asseruit, tanquam principia creationis, & bonitatis.*

Artotyritæ *de oblatione vocati: panem enim & caseum offerunt dicentes, à primis hominibus oblationem à fructibus terræ, & à fructibus ovium fuisse celebratam.*

Aquarii *appellati, eò quòd aquam solùm offerunt in calice Sacramenti.*

Severiani *à Severo exorti vinum non bibunt: vetus*

vetus Testamentum, & resurrectionem non recipiunt.

Tertiani *à Tertiano quodam vocati, qui & Enoratitæ dicti, quia carnes abominantur.*

Alogii *vocantur tanquam sine verbo*: Lugos *enim Græcè, verbum dicitur. Deum enim, Verbum non credunt, respuentes Joannis Evangelium, & Apocalypsin.*

Cataphryges *nomen provincia Phrygia dedit; quia ibi extiterunt. Auctores eorum Montanus, Prisca, & Maximilla fuerunt. Hi adventum Spiritûs S. non in Apostolos, sed in se traditum asserunt.*

Cathari *propter munditiem ita se nominaverunt; gloriantes enim de suis meritis, negant pœnitentibus veniam peccatorum: viduas, si nupserint, tanquam adulteras damnant, mundiores se cæteris prædicant. Qui nomen suum si cognoscere vellent, mundanos se potiùs, quam mundos vocarent.*

Pauliani *à Paulo Samosateno exorti sunt, qui dixit, non semper fuisse Christum, sed à Maria sumpsisse initium.*

Hermogeniani *ab Hermogene quodam vocati, qui materiam non natam introducens, Deo non nato eam comparavit, matremque elementorum, & Deum assecuratus: quos Apostolus improbat elementis servientes.*

Manichæi *à quodam Persa extiterunt, qui vocatus est Manes. Hic duas naturas, & substantias introduxit, id est bonam, & malam, & animas ex Deo, quasi ex aliquo fonte manare asseruit: Testamentum vetus respuit, novum ex parte recepit.*

Anthropomorphytæ *dicti pro eo, quòd simplicitate rustica Deum habere humana membra, quæ in divinis libris scripta sunt, arbitrantur: anthropos enim græcè, latinè homo interpretatur, ignorantes vocem Domini, qui ait,* Spiritus est Deus, *incorporeus est enim, nec membris distinguitur; nec corporis mole censetur.*

Hierarchitæ *ab Hierarcha auctore exorti, Monachos tantùm recipiunt: conjugia respuunt: regna cœlorum parvulos habere non credunt.*

Novatiani *à Novatiano Romæ urbis Presbytero exorti, qui adversus Cornelium Cathedram Sacerdotalem conatus invadere, Hæresin instituit, nolens Apostatas suscipere rebaptizator.*

Montani *hæretici dicti, quòd tempore persecutionis in montibus latuerunt, quâ occasione se à Catholicæ Ecclesiæ corpore diviserunt.*

Ebionitæ *ab Ebione dicti, sive à pauperate, Christum enim per profectum solum, virum justum putant effectum. Unde competenter* Ebionitæ *pro paupertate intelligentiæ appellati sunt. Hi enim semijudæi sunt: & ita tenent Evangelium, ut legem carnaliter servent: adversus quos Apostolus ad Galatas scribens, invehitur.*

Photiniani *à Photino Gallogræciæ Syrmii Episcopo nuncupati, qui Ebionitarum hæresin suscitans asseruit, Christum à Mariâ per Joseph nuptiali coitu fuisse conceptum.*

Aeriani *ab Aerio quodam nuncupati sunt, qui offerre Sacrificium pro defunctis spernunt.*

Ætiani *ab Ætio sunt vocati: iidemque* Eunomiani *ab Eunomio quodam Dialectico Aetii discipulo, ex cujus nomine magis innotuerunt; dissimilem Patri asserentes Filium, & Filio Spiritum S. Dicunt etiam nullum imputari peccatum in Fide manentium.*

Origeniani *ab Origene auctore exorti sunt dicentes, quòd non possit videre Filius Patrem, nec Spiritus Sanctus Filium. Animas quoque in mundi principio peccâsse dicunt, & pro diversitate peccatorum à cœlis usque ad terras diversa corpora, quasi vincula meruisse, eaque causâ factum esse mundum.*

Noetiani *à quodam Noëto vocati, qui dicebant Christum eundem esse, Patrem, & Spiritum sanctum, ipsamque Trinitatem in officiorum nominibus, non in personis accipiunt. Unde & Patripassiani vocantur, quia Patrem passum dicunt.*

Sabelliani *ab eodem Noeto pullulâsse dicuntur: cujus discipulum perhibent fuisse Sabellium, ex cujus nomine maximè innotuerunt, unde Sabelliani vocati sunt. Hi unam personam Patris, Filii, & Spiritûs sancti asserunt.*

Ariani *abArio Alexandrino Presbytero sunt orti, qui cœternum Patri Filium non agnoscens, diversas in Trinitate substantias asseruit, contra illud, quod ait Dominus*, Ego & Pater unum sumus.

Macedoniani *à Macedonio Constantinopolitano Episcopo dicti sunt, negantes, Deum esse Spiritum sanctum.*

Apollinaristæ *ab Apollinare vocati sunt, dicentes Christum corpus tantummodò sine anima suscepisse.*

Antidicomaritæ *appellati sunt pro eo, quòd Mariæ virginitati contradicunt, asserentes, eam post Christum natum viro suo esse commistam.*

Metangismonitæ, *ideò tale nomen acceperunt, quia aggos græcè, vas dicitur. Asserunt enim, sic esse in Patre Filium, tanquam vas minus intra vas majus.*

Patritiani *à quodam Patritio nuncupati sunt, qui substantiam humanæ carnis à diabolo conditam dicunt.*

Colluthiani *à quodam Colluthio nominati, qui dicunt, Deum non facere mala contra illud, quod scriptum est*, Ego Dominus creans mala.

Floriani *à Floriano, qui è contrario dicunt, Deum creâsse mala, contra hoc, quod scriptum est*: Fecit Deus omnia bona.

Donatistæ *à Donato quodam Afro nuncupati, qui de Numidia veniens totam pene Africam suâ persuasione decepit, asserens, minorem Patrem Filium, & minorem Filio Spiritum sanctum, & rebaptizans Catholicos.*

Bonosiani *à Bonoso quodam Episcopo exorti produntur, qui Christum Dei Filium adoptivum, non proprium asserunt.*

Circumcelliones *dicuntur, eò quòd Agrestes sunt, quos* Scototopicos *vocant, supra dictæ hæresis habentes doctrinam. Hi amore martyrii semetipsos perimunt, ut violenter de hac vita discedentes, martyres nominentur.*

Priscillianistæ *à Priscilliano vocati, qui in Hispania ex errore Gnosticorum, & Manichæorum permistum dogma composuit.*

Luciferiani *à Lucifero Sardiniæ Episcopo orti, qui Episcopos Catholicos, qui Constantii persecutione perfidiæ Arianorum consentientes erant, & postea correcti in Catholicam Ecclesiam redire delegerunt, damnantes, sive quòd crediderant, sive quòd se credidisse simulaverant, quos Ecclesia Catholica materno recepit sinu, tanquam Petrum post flentem negationis, hanc illi matris charitatem superbè accipientes, eosque recipere nolentes, ab Ecclesiæ communione recesserunt. Et cum ipso Lucifero auctore suo, qui mane oriebatur, cadere meruerunt.*

Jovinianistæ *à Joviniano quodam Monacho dicti, asserentes, nullam nuptarum, & virginum esse distantiam, nullumque inter abstinentes, & simpliciter epulantes esse discrimen.*

Helvidiani *ab Helvidio nominati, qui dicunt, post Christum natum, alios Mariam Filios de viro suo Joseph peperisse.*

Paterniani *à Paterno quodam exorti, inferiores partes à diabolo factas opinantur.*

Arabici *nuncupati, eò quòd in Arabia exorti sunt, dicentes, animam cum corpore mori, atque in novissimo utrumque resurgere.*

Tertullianistæ *dicti à Tertulliano Presbytero Africanæ provinciæ civitatis Carthaginensis, animam immortalem esse, sed corpoream prædicantes, & animas peccatorum hominum post mortem in dæmones verti putantes.*

Tessarescadecatitæ dicti, quòd decima quarta Luna Paschæ cum Judæis observandum contendunt, nam Tessares quatuor, déka decem significat.

Nyctages à somno nuncupati, quòd vigilias noctis respuant, superstitionem esse dicentes, jura temerari divina, qui noctem ad requiem tribuit.

Pelagiani à Pelagio Monacho exorti. Hi liberum arbitrium divinæ gratiæ anteponunt, dicentes sufficere voluntatem ad implendæ jussa divina.

Nestoriani à Nestorio Constantinopolitano Episcopo nuncupati, qui B. Mariam Virginem non Dei, sed hominis tantummodò matrem asseruit; ut aliam personam carnis, aliam faceret Deitatis: nec unum Christum in verbo Dei, & carne credidit, sed separatim atque sejunctim alterum filium Dei, alterum hominis prædicavit.

Eutychiani dicti ab Eutyche Constantinopolitano Abbate, qui Christum post humanam assumptionem negavit existere in duabus naturis, sed solum in eo divinam asseruit esse naturam.

Acephali dicti, id est, sine capite. Nullus enim eorum reperitur auctor, à quo exorti sint. Hi trium Chalcedonensium capitulorum impugnatores, duarum in Christo substantiarum proprietatem negant, & unam in ejus persona naturam prædicant.

Theodosiani, & Gajanitæ appellati à Theodosio, qui temporibus Justiniani principis in Alexandria, populi perversi electione, una die ordinati sunt Episcopi. Hi errores Eutychetis, & Dioscori sequentes, Chalcedonense Concilium respuunt; ex duabus unam in Christo naturam asserunt; quam Theodosiani corruptam, Gajanitæ incorruptam contendunt.

Agnoitæ, & Tritheitæ, à Theodosianis exorti sunt, ex quibus Agnoitæ ab ignorantia dicti; quia ad perversitatem, à qua exorti sunt, id adjiciunt, quòd Christi Divinitas ignoret futura, quæ sunt scripta de die, & horâ novissimâ, non recordantes Christi personam in Esaia loquentis, Dies judicii in corde meo.

Tritheitæ verò vocati, quòd sicut tres personas in Trinitate, ita quoque tres asserunt Deos esse, contra illud, quod scriptum est; Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est.

19 *Sunt & aliæ Hæreses sine auctore, & sine nominibus. Ex quibus aliæ putant, triformem esse Deum: aliæ Christi Divinitatem passibilem dicunt: aliæ Christi de Patre nativitati initium temporis dant: aliæ liberationem hominum apud inferos factam Christi descensione non credunt: aliæ animam imaginem Dei negant: aliæ animas converti in dæmones, & in quæcunque animalia existimant: aliæ de Mundi statu dissentiunt: aliæ innumerabiles Mundos opinantur: aliæ aquam Deo coæternam faciunt: aliæ nudis pedibus ambulant: aliæ cum hominibus non manducant. Hæ sunt Hæreses adversùm Catholicam Fidem exortæ, & ab Apostolis & à sanctis Patribus, vel Conciliis prædamnatæ, quæ dum in se multis erroribus divisæ, invicem sibi dissentiunt, communi tamen nomine adversùs Ecclesiam Dei conspirant.*

Recentiores aliquæ adducuntur c. Excommunicamus. 15. h. t. & Clement. Ad nostrum. 3. eod. ibi: *Ad nostrum (qui desideranter in votis gerimus, ut Fides Catholica nostris temporibus, & pravitas hæretica de finibus Fidelium extirpetur) non sine displicentia grandi pervenit auditum, quòd Secta quædam abominabilis quorundam hominum malignorum, qui Beguardi, & quarundam infidelium mulierum, quæ Beguinæ vulgariter appellantur in regno Alemanniæ (procurante satore malorum omnium operum) dammabiliter inlurrexit: tenens, & asserens doctrinâ suâ sacrilegâ, & perversâ inferius designatos erores.*

Primò videlicèt, quòd homo in vita præsenti tantum, & talem perfectionis gradum potest acquirere, quòd reddetur penitus impeccabilis & ampliùs in gratia proficere non valebit: nam (ut dicunt) si quis semper posset proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri.

Secundò, quòd jejunare non oportet hominem, nec orare, postquàm gradum perfectionis hujusmodi fuerit assecutus; quia tunc sensualitas est ita perfectè spiritui, & rationi subjecta, quòd homo potest liberè corpori concedere, quidquid placet.

Tertiò, quòd illi, qui sunt in prædicto gradu perfectionis, & spiritu libertatis, non sunt humanæ subjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligantur, qui (ut asserunt) ubi spiritus Domini, ibi libertas.

Quartò, quòd homo potest ita finalem beatitudinem secundùm omnem gradum perfectionis in præsenti assequi, ut eam in vita obtinebit beatâ.

Quintò, quòd quælibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum.

Sextò, quòd je in actibus exercere virtutum, est hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat à se virtutes.

Septimò, quòd mulieris osculum (dum ad hoc natura non inclinet) est peccatum mortale: Actus autem carnalis (cùm ad hoc natura inclinet) peccatum non est, maximè cùm tentatur exercens.

Octavò, quòd in elevatione corporis Jesu Christi non debent assurgere, nec eidem reverentiam exhibere: asserentes, quòd esset imperfectionis ejusdem, si à puritate, & altitudine suæ contemplationis tantùm descenderet, quòd circa mysterium, seu Sacramentum Eucharistiæ, aut circa passionem Christi aliqua cogitarent. Nonnulla etiam alia sub simulata quàdam sanctitatis specie dicunt, faciunt, & committunt, quæ oculos Divinæ Majestatis offendunt, & grave in se continent periculum animarum.

Recentissimas verò Hæreses, & Hæreticos recenset Bulla Cœnæ §. 1. videlicet, Huffitas, Wichlefistas, Lutheranos, Zwinglianos, Calvinistas, Hugonotos, Anabaptistas, Trinitarios, ut proin apud Catholicos nefas sit, dubitare, an hi modò recensiti sint veri Hæretici, nec ne; cùm ut tales ab Ecclesia sint declarati, ac propterea etiam, sicut & alii quicunque Hæretici, eorumque receptores, fautores, defensores per eandem Bullam excommunicati. 20

Generaliter etiam Hæreticos pulchrè declarat Jus Civile l. Omnes. 2. C. de Hæreticis. ibi: *Hæreticorum autem vocabulo continentur, & latis adversùs eos Sanctionibus succumbere debent, qui vel levi argumento à judicio Catholicæ Religionis & tramite, detecti fuerint deviare.* 21

§. II.

De Communicatione, & Disputatione cum Hæreticis; nec non* de Prædicatione ad eos, & Catholicos facienda.

SUMMARIUM.

22 *Si abest scandalum, & perversionis periculum, licitè, & absque Excommunicatione possunt Catholici cum Hæreticis communicationem habere.*

23 *Etiam cum Lutheranis, & aliis in Bulla Cœnæ expresè excommunicatis.*

24 *Possunt cum iis varios contractus, non tamen Matrimonii inire, præsertim in locis, ubi tolerantur.*

25 *Ubi verò scandalum, vel perversionis periculum, illicitum est.*

26 *Cum Hæreticis disputare, Laici sub excommunicatione prohibentur.*

27 *Etiamsi*

27 *Etiamsi sint docti.*

28 *Ista tamen Juris prohibitio in locis, ubi Catholici cum Hæreticis permixti vivunt, usu vel non est recepta, vel per consuetudinem contrariam abrogata.*

29 *Clericis non est prohibitum disputare cum Hæreticis.*

30 *Si sint Clerici sufficienter docti, & debitas circumstantias prudenter observent.*

31 *Prædicare nec Hæreticis, nec Catholicis possunt Laici.*

32 *Neque Clerici sine licentia Episcopi.*

33 *De potestate prædicandi competente Regularibus. Remissivè.*

22 QUæritur I. An, & qualis Communicatio cum *Hæreticis* prohibita, vel licita sit Catholicis? Resp. Quamvis olim Communicatio cum quovis *Hæretico* utpote excommunicato fuerit prohibita, tamen hodie licitum est communicare cum omnibus, notoriis quoque & manifestis etiam in Bulla Cœnæ, & alibi in Jure contentis *Hæreticis*, specialiter & nominatim non excommunicatis, si abest scandalum, & perversionis periculum. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 9. *num.* 3. Azorius *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 11. *q.* 1. Pirhing *h. t. num.* 22. & 23. cum communi aliorum. Ratio est; quia Martinus V. in Concilio Constantiensi per Constitutionem, quæ incipit, *Ad vitanda*, atque refertur à Navarro *in Manual. cap.* 27. *n.* 35. & Sylvestro ☿. *Excommunicatio.* 5. *num.* 7. moderando declaravit, nullum Excommunicatum impositum esse vitandum, nisi à Judice specialiter, & nominatim ut Excommunicatus sit denuntiatus, aut nisi sit publicus & notorius percussor Clerici. Quæ Bulla, cùm sit generalis, nullum nisi præfatos excipiens, & *Hæreticos* comprehendit: Tum quia verba Legis generalia, generaliter sunt intelligenda, *l. de Pretio. ff. de Publican. in rem action.* cum Concordantiis: Tum quia *exceptio unius firmat regulam in contrarium*, *l. In iis, quæ. ff. de Legib.*

Nec refert, quòd Lutherani, Calvinistæ, & quidam alii *Hæretici* nominatim declarentur, & singulis annis publicè denuntientur excommunicati per *Bullam* Cœnæ; quia illa denuntiatio non est specialis circa aliquas personas in specie, & nominatim expressas, sed generalis duntaxat, omnes Lutheranos, Calvinistas &c. in genere complectens, cujusmodi generalis denuntiatio vi Constitutionis Martinianæ non sufficit ad hoc, ut Excommunicatus sit vitandus, uti Doctores citati bene observant. 23

Infertur proin cum iisdem DD. licitum esse Catholicis, præsertim in locis, ubi cum *Hæreticis* permixti vivunt, uti in Germania, Hungaria, Polonia &c. I. Inire, & habere cum eis Civiles contractus. II. Admittere filios *Hæreticorum* ad scholas, vel studia Catholica, non tamen econtrà filios Catholicorum ad Scholas *Hæreticorum* ob perversionis periculum. III. Servire, seu famulari *Hæreticis*. IV. Adire & visitare templa *Hæreticorum*, ibique ritu Catholico orare; quin etiam Conciones *Hæreticorum* audire ex justa aliqua causa, v. g. ut annotentur errores Prædicantis hæretici, vel si famulus comitatur Dominum hæreticum, Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 4. *nu.* 26. Layman *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 11. *n.* 5. Azorius *loc. cit. q.* 4. Pirhing. *h. t. à num.* 24. & alii. Matrimonium tamen inire cum *Hæreticis* non licet Catholico, prout ampliùs dictum est *Lib. IV. Tit. I. n.* 36. 24

Dicitur autem notanter in Conclusione *num.* 22. datâ, *Si abest scandalum, & periculum perversionis*; hoc enim alterutrum ubi intervenit in Communicatione cum *Hæreticis*, etsi aliàs licita, vitari de Jure divino debet juxta Omnes, eò quòd tam scandalum, quàm propriæ animæ, & peccati verum periculum 25

Jure divino vitare quivis teneatur, prout latè Theologi, ex illo S. Scripturæ: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Hinc in resolutione casuum circa Communicationem cum *Hæreticis* bene attendere oportet, an non exinde detur scandalum aliis, vel interveniat propriæ animæ periculum.

Quæritur II. An? Quibus? Quando? Et quomodò liceat Catholicis disputare cum *Hæreticis*? R. I. Laicis omnibus sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ prohibitum est, disputare cum hæreticis de Fide, textu expresso, *c.* 2. *h. t. in* 6. ibi: *Jubemus quoque, ne cuiquam Laicæ personæ liceat publicè & privatim de Fide Catholica disputare, qui verò contra fecerit, Excommunicationis laqueo innodetur.* Ratio est; quia, cùm Laici à potiori minùs docti, minusque instructi præsumantur in Mysteriis Fidei, periculosum eis est, de Fide disputare cum *Hæreticis*, utpote in falsa Secta apprimè imbutis, ita ut in simili disputatione plerumque majus periculum timendum, ne Catholicus pervertatur, vel *Hæretici* in sua falsa Religione firmentur, quàm convertantur. 26

Et quidem hæc Juris prohibitio non tantùm de indoctis, sed etiam de doctis Laicis procedit, ut contra Cajetanum 2. 2. *quæst.* 10. *a.* 7. *ad* 1. bene tenet Sylvester ☿. *Disputatio. num.* 1. Farinacius *Prax. Criminal. quæst.* 178. *nu.* 112. cum Glossa communiter recepta *in cit. c.* 2. *h. t. in* 6. ☿. *Tenet.* Ratio est, Tum quia Jus indistinctè ac generaliter loquitur: consequenter etiam indistinctè intelligi debet; *arg. c. Quia circa.* 22. *de Privileg.* Tum quia Leges feruntur de iis, quæ frequenter, vel plerumque accidunt, *l. Nam ad ea.* 14. *ff. de Legib.* Laici autem frequentiùs, imò plerumque sunt indocti, aut certè minùs sufficienter instructi in Mysteriis Fidei; consequenter universim omnibus meritò prohibita est Disputatio de Fide cum *Hæreticis*, ne alioquin disputante Laico verè docto, etiam rudes, & imperiti de sufficientia sua malè præsumentes ansam disputandi accipiant, non sine gravi periculo *num. præced.* allegato. 27

Notant tamen rectè Herinx *Disp* 9. *de Fide. q.* 3. *num.* 34. Palao *Tract.* 4. *Disput.* 2. *pun.* 4. Sanchez *lib.* 5. *Moral. cap.* 6. *num.* 7. & alii; Legem, seu prohibitionem hanc vel casu nunquam esse receptam, vel contrariâ consuetudine iterum abrogatam in locis, in quibus *Hæretici* cum Catholicis permixti vivunt; quia passim ibidem cum *Hæreticis* in privatis colloquiis disputant Laici; idque sæpè necessarium est pro avertendo pusillorum scandalo, præsertim ubi ob persecutionem Hæreticorum non tolerantur Clerici. 28

Resp. II. Quamvis non desint, volentes, etiam Clericis prohibitum esse disputare cum *Hæreticis*, *arg. l. Nemo.* 4. *C. de Summa Trinitat.* ibi: *Nemo Clericus, vel Militaris, vel alterius cujuslibet conditionis de Fide Christianâ publicè turbis coadunatis, & audientibus tractare conetur imposterum*: & *can. Cum quibus.* 36. *in fine. cau.* 24. *q.* 3. Nihilominùs Clericis per dicta Jura prohibitum non esse, publicè & privatim disputare cum *Hæreticis*, si debitæ servantur circumstantiæ, communis & universali praxi Ecclesiæ confirmata tenet opinio aliorum; eò quòd tam *l. Nemo.* quàm *can. Cum quibus* citati loquantur in casu, quo fit Disputatio dubitativa de Fide, seu ratione dubii, quod Clerici de Fidei articulo aliquo jam definitio habent, vel eum vocare volunt in dubium, ut de *can. Cum quibus*, bene *ibid.* advertit Glossa ☿. *Certamen.* & *l. Nemo.* constat ex contextu statim subsequente, ibi: *Nam & injuriam facit Rmæ Synodo, si quis semel judicata, & rectè disposita revolvere, & publicè disputare contenderit.* Accedit, dictam Legem, *Nemo*, ab Ecclesia non fuisse appro- 29

approbatam, consequenter omni valore carere, hoc ipso, quòd nulla Lex Civilis, quæ de Ecclesiis, vel rebus spiritualibus, aut personis Ecclesiasticis etiam in favorem eorum disponere habeat valorem, nisi ab Ecclesia approbetur, textu expresso, *c. Ecclesia. 10. de Constitut.* ibi: *Nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum*: concordat *c. fin. de Rebus Eccles. non alien.*

30 Dicitur tamen notanter in Conclusione, *si debitæ serventur circumstantiæ*: Tum respectu Disputantium, ut videlicet nonnulli sufficienter docti, & instructi hujusmodi Disputationes assumant; ne aliàs eadem, quæ à Disputatione Laicorum pericula eveniant: Tum respectu Audientium, loci, insuper ac temporis, uti bene observat, & materiam hanc ulteriùs bene deducit Gonzalez *in c. Cùm ex injuncto. 12. h. t.*

31 Quæritur III. An etiam, & quinam prohibeantur prædicare *Hæreticis*, vel aliis? Resp. I. Sicut prohibitum est Laicis disputare cum *Hæreticis* de Fide, ita etiam prohibitum eis quoque est, ne *Hæreticis*, vel quibusvis aliis etiam Catholicis prædicent, textu claro *c. Cùm ex injuncto. 12. & c. Sicut. h. t.* ibi: *Cùm igitur nonnulli Laici prædicare præsumant, & verendum nimis existat, ne vitia sub specie virtutum occultè subintrent &c. Mandamus, quatenus cùm alios Dominus dederit Apostolos, alios Doctores, alios Prophetas, interdicas Laicis universis cujuscunque Ordinis censeantur, usurpare officium prædicandi.*

32 Resp. II. Graviter insuper, & quidem sub Excommunicatione prohibitum est Clericis, ne publicè vel privatim sive *Hæreticis*, sive Catholicis prædicent; nisi ad Prædicationis officium legitimè deputentur. Ita clarè statuitur *c. Excommunicamus. 13. §. Quia verò. h. t.* ibi: *Quia verò nonnulli sub specie pietatis virtutem ejus (juxta quod Apostolus ait) abnegantes, authoritatem ejus vindicant prædicandi, cùm idem Apostolus dicat*: Quomodò prædicabunt, nisi mittantur: *Omnes qui prohibiti, vel nonnisi missi præter authoritatem ab Apostolica Sede, vel Catholico Episcopo loci susceptam, publicè vel privatim Prædicationis officium usurpare præsumpserint, Excommunicationis vinculo innodentur; & nisi quàm citiùs resipuerint, aliâ competenti pœnâ plectantur.*

33 Porro qualiter Regulares indigeant licentiâ, vel saltem benedictione Episcopi ad prædicandum in suis, vel alienis Ecclesiis, ex parte diximus jam suprà *Lib. I. Tit. XXXI. de Officio Judicis Ordinarii*, & magis adhuc dicemus infra *Tit. XXXIII. de Privilegiis.*

§. III.

De Lectione, Retentione, Impressione, & Defensione hæreticorum, & aliorum prohibitorum Librorum.

SUMMARIUM.

34 *Hi libri dupliciter prohibentur, per Bullam Cœnæ videlicet, & Indicem Librorum prohibitorum.*

35 *Per Bullam prohibetur sub Excommunicatione Lectio omnium, & solorum librorum hæreticorum hæresin continentium, vel de Religione tractantium.*

36 *Ad incurrendam tamen hanc Excommunicationem requiruntur plures conditiones, & quidem I. ut Author libri sit hæreticus.*

Hinc legere librum Infidelium, vel Catholicorum etiam hæresin continentem contra Bullam Cœnæ non agit. Ibid.

37 *Etsi malâ fide illum legat.*

38 *Quid Juris, de Libellis Controversiæ, quæ in his partibus Catholici, & Hæretici contra se invicem edunt.*

39 *Lectio libri hæretici per Bullam Cœnæ est prohibita, sive manuscriptus.*

40 *Secundùm aliquos nomine libri hic non veniunt Epistolæ, Conciones, Orationes, & aliæ breves Scripturæ Hæreticorum.*

41 *Contrarium est probabilius, probatur à paritate rationis. Et n. seq.*

43 *Et per declarationem Cardinalium.*

44 *Solvuntur fundamenta Adversatorium.*

45 *Confirmatur.*

46 *II. Conditio est, ut liber tractet de Religione: vel Hæresin contineat.*

Quando dicatur de Religione tractare? Ibid.

47 *Magna Controversia inter Doctores est: An, & quando liber Hæretici principaliter de alio objecto tractans, unam tamen, vel alteram hæresin inspersam habens dicatur in sensu Bullæ continere hæresin? Et duobus n. seq.*

49 *Juxta aliquos sufficit, si vel unica simplicissimè, ac brevissimè proposita, nulloque modo propugnata, hæresis per accidens inspersa habeatur.*

50 *Contrarium docet Layman ex fundamento tamen minus solido.*

51 *Idem Contrarium & nos, ut satis probabile tenemus, sed alio ex fundamento.*

52 *Quia videlicet circa tales libros universaliter deest ratio, & finis Legis. Et duobus n. seqq.*

55 *III. Conditio est, ut scienter, seu sciens legat, id est, sciat librum esse Authoris hæretici, & de Religione tractare, ac hæresin continere.*

56 *IV. Conditio est, ut quis legat talem librum sine facultate Apostolica directè, vel indirectè concessâ.*

57 *Facultatem legendi libros prohibitos ex speciali Indulto Pontificio habent Germaniæ Episcopi eamque communicare possunt aliis, sed nonnisi Sacerdotibus. Et n. præced.*

58 *Idque ordinariè ad solum Quinquennium.*

59 *Minimè verò in perpetuum.*

60 *Imò nec ad Quinquennium licentiam legendi libros prohibitos aliis concedere possunt Ordinarii illo tempore, quo facultas ipsis concessa per quinquennium non amplius durat. Et tribus n. seqq.*

64 *Compendiosa relatio, & remissio conditionum requisitarum ad hoc, ut librum per Bullam Cœnæ prohibitum legens, incurrat Excommunicationem.*

65 *Non excusantur ab Excommunicatione docti, solo animo errores confutandi, & sine perversionis periculo legentes librum Bullæ Cœnæ prohibitum. Et num. seq.*

67 *Benè tamen ab illa excusat parvitas materiæ, quæ legitur.*

68 *Quam parvitatem aliqui volunt esse paucas lineolas: alii integram etiam magni libri paginam, sed nimis latè. Et n. seq.*

70 *Excommunicatur, qui legit notabilem partem, etsi in illa hæresis non contineatur; imò qui legit solam Epistolam dedicatoriam, vel Præmium libri. Et n. præced.*

71 *Omnium & solorum librorum Hæreticorum, quorum lectio est prohibita per Bullam Cœnæ, est etiam prohibita Retentio, Impressio, & defensio.*

72 *Sive dein suo, sive alterius nomine, in propria, vel alienâ domo quis eos retineat.*

73 *Etiam partem retinens pro involutione v. g. peccat.*

74 *Datur tamen etiam in ista Retentione parvitas materiæ, & quæ? Et n. seq.*

76 *Quid incipiendum cum libris hæreticis? Remissivè.*

77 *Qui-*

77 *Quinam veniunt nomine* Imprimentium *libros per Bullam Cœnæ prohibitos?*

78 *Et quinam nomine* Defendentium?

79 *Laymani, & Becani Assertum, Bullam Cœnæ in his partibus, vel omnino non, vel non tanto cum rigore esse receptam.*

80 *Sequuntur, & practicare audent plures ingenti cum præjudicio immunitatis Ecclesiasticæ.*

81 *Impugnatur ex professo, & demonstratur, quòd Bulla Cœnæ in aliqua quâcunque tandem Provincia vel loco licite, & validè non possit non recipi, consequenter malè non recepta nihilominùs obliget.*

82 *Fundamentum præcipuum est, quòd juxta communiorem, veramque sententiam ad obligationem justæ Legis non requiratur acceptatio illius. Et num. seq.*

84 *Et juxta certam doctrinam (nam contraria damnata est) omnes peccent, qui absque justa causa Legem non acceperint.*

85 *Ostenditur in nulla Provincia dari, aut excogitari posse justam causam vel rationem non acceptandi Bullam Cœnæ.*

86 *Præsertim quoad prohibitionem librorum hæreticorum. Et duobus num. seqq.*

89 *Objectio, quòd Bulla Cœnæ per contrariam consuetudinem legitimè præscriptam fuerit abrogata, vel saltem derogatum eidem.*

90 *Solvitur, & ostenditur, quòd contra Bullam Cœnæ nunquam introduci, & legitimè præscribi valeat consuetudo aliqua.*

91 *Et quare? ac num. præced.*

92 *Consuetudines contrariæ sunt abusus.*

93 *Objectio Hæreticorum, quod libros eorum prohibeant, & comburam Catholici.*

94 *Solvitur.*

95 *Et justificatur hæc prohibitio exemplo antiquæ Ecclesiæ, ac Legibus Civilibus. Et num. seq.*

97 *Atque sacrâ Scripturâ.*

98 *Ratio prolixæ discussionis materiæ de prohibitione librorum hæreticorum per Bullam Cœnæ.*

99 *Index librorum prohibitorum unde?*

100 *Per illum prohibentur Libri tripliciis Classis, primæ Classis libri prohibiti qui?*

101 *Secundæ Classis libri quinam?*

102 *Et quinam tertiæ Classis?*

103 *Libri primæ & secundæ Classis ob Hæresin, quam continent, prohibiti, prohibentur Excommunicatione non reservatâ per Indicem.*

104 *Et reservatâ per Bullam Cœnæ.*

105 *Libri secundæ & tertiæ Classis ob aliam non sanam doctrinam prohibiti, sub peccato gravi quidem, sed nulla sub Excommunicatione prohibentur.*

106 *Tertiæ Classis libri subinde sunt pejores, quàm primæ Classis.*

107 *Unde desumendum, qualiter Libri tertiæ Classis, tacito videlicet Authore editi, sint prohibiti.*

108 *Si constat, librum hæreses continentem esse ab Authore hæretico, censetur per Bullam Cœnæ prohibitus, etsi nomen Authoris non sit appositum.*

109 *De facto novus confectus est Index librorum prohibitorum, qui continuò crescit.*

110 *Et eâdem cum antiquo Regulas habet.*

111 *Regulæ Indicis librorum prohibitorum.*

112 *De Instructione ad expurgandos libros prohibitos præscripta. Remissivè.*

113 *Asserunt aliqui, Indicem librorum prohibitorum absolutè non esse receptum: aliqui verò non esse receptum quoad libros secundæ Classis.*

114 *Assertum de absolutè non recepto Indice in facto, non subsistit, nec in Jure.*

115 *Idem est de Asserto absolutè dicente, non esse receptum Indicem quoad libros secundæ Classis. Et duobus num. seqq.*

117 *Plures Pontifices Indicem de novo confirmarunt, & consuetudines contrarias revocârunt; idemque faciunt Successores.*

118 *Ut proin difficile sit probare de Jure, non receptionem, vel consuetudinem contrariam.*

119 *De Indice quoad aliquos libros secundæ Classis non recepto, Assertum non subsistit.*

120 *Speciale Notabile circa libros primæ Classis.*

121 *Etiam Regulares tenentur ad observantiam Indicis.*

122 *Quia privilegia eorum sunt revocata.*

123 *Nec valet violenta quædam interpretatio à nonnullis allata.*

124 *Præsertim ob Constitutionem Alexandri VII. omnium privilegiorum &c. derogatoriam.*

125 *Lectores, & Professores Controversiæ vi officii tacitè sibi concessam non habent licentiam legendi libros hæreticos. Et num. seq.*

127 *Qui librum hæreticum, aut alium prohibitum habet, debet eum tradere Inquisitoribus, ubi Officium viget. Et num. seq.*

129 *In aliis locis, sufficit, si comburatur, vel tradatur aliquibus habentibus facultatem legendi, præsertim Monasteriis: & quare?*

130 *Declaratur Indultum, seu facultas Pontificia legendi, & tenendi libros prohibitos concedi solita Regularibus, & demonstratur, quòd non obstantibus clausulis in ea contentis dicti Regulares observare, & bene custoditos habere possint libros prohibitos in suis Bibliothecis, usque ad num. 135.*

135 *Quid Juris de Impressione librorum prohibitorum per Bullam Cœnæ?*

136 *Et quid de Impressione librorum in genere vi Concilii Tridentini?*

137 *Et vi indicis librorum prohibitorum, referuntur Ordinationes utriusque per extensum.*

138 *Causa prolixioris discussionis hujus materiæ.*

NOtandum priùs duplicem præcipuè circa hos 34
libros extare prohibitionem: unam videlicet in Bulla Cœna; alteram verò in Indice librorum prohibitorum, authoritate Concilii primitùs, & Pii IV. erecto, posteà per Successores Pontifices continuato, confirmato, & aucto.

Quæritur itaque I. Quorum librorum Lectio, 35
Retentio, Impressio, & Defensio prohibita sit per Bullam Cœnæ? & quomodo? Resp. I. Per Bullam Cœnæ gravissimè, & quidem sub Excommunicatione Papæ reservatâ prohibetur Lectio omnium & solorum librorum hæreticorum illorum, qui ab Authore hæretico compositi hæresin continent, vel de Religione tractant. Unanimis, & certa, ob clarum dictæ Bullæ Cœnæ textum §. I. ita sonantem: *Excommunicamus, & anathematizamus &c. Omnes, & singulos Hæreticos, quocunque nomine censeantur &c. ac eorundem libros hæresin continentes, vel de Religione tractantes, sive authoritate nostra, aut Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quâvis causa, publicè vel occultè, quovis ingenio, vel colore &c.* Pro majori intelligentia hujus Legis pono sequentem Conclusionem, quâ

Resp. II. Ad hoc, ut libro alicujus Hæretici, 36
censetur prohibita Lectio vigore Bullæ Cœnæ, & pœnis ejusdem subjacere, requiruntur sequentes conditiones. I. Ut liber sit alicujus veri Hæretici, seu ut Author, qui librum composuit, sit Hæreticus: sint Excommunicationem Bullæ Cœnæ non in-

incurrit, qui legit librum Pagani, Judæi, Turcæ, vel alterius Infidelis non baptizati, etsi de Religione tractet, & hæresin contineat. Nec ille, qui legit librum Authoris Catholici, etsi unam, vel plures hæreses ex imprudentia inspersas habeat: vel in quo de verbo ad verbum etiam per integra folia referuntur textus, & doctrinæ alicujus Hæretici, vel hæreses Scriptoris hæretici. Navarrus *Manual. cap.* 27. *num.* 56. Palao de Infidelitate *Tract.* 4. *Disp.* 2. *pun.* 10. §. 1. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 10. *num.* 23. Layman *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 15. *num.* 1. Ratio est; quia dicta Bulla, uti patet ex textu, excommunicat illos solos, qui legunt librum *Hæretici*; consequenter si Author libri verus *Hæreticus* non est, Lectio illius sub dicta prohibitione, utpote odiosâ non comprehenditur; eò quòd Lex pœnalis, & omnia alia odiosa strictè sit interpretanda, prout ampliùs diximus *Lib. I. Tit. II. de Constitut.* §. 17. *à numer.* 427. *arg. c. In pœnis*, & *c. Odia, de Reg. Jur. in* 6.

37 Nec refert, quòd quis Authoris Catholici, aut alterius non hæretici librum Hæreses, aut doctrinas Hæreticas continentem legat malâ intentione v. g. solâ culpabili curiositate, vel animò discendi Hæresin, impugnandi Catholicos &c. uti bene advertunt DD. citati. Ratio est, quia Ecclesia non judicat de internis & occultis, & propter interna *nullum* pœnit delictum, *arg. c. Erubescant. dist.* 32. junctâ Glosâ ℣. *Secretorum.*

38 Infertur. Quid sentiendum de libris, ac libellis, quos in his partibus Catholici contra *Hæreticos*, & hi contra illos de Controversia Fidei passim edunt, videlicet, quòd etsi contra Bullam Cœnæ agat, pœnasque illius incurrat, qui legit aliquem hujusmodi libellum ab *Hæretico* editum (cùm verè sit liber *Hæretici* de Religione tractans, quin & hæresin continens) tamen ab eâdem transgressione dictæ Bullæ, ac pœnâ illius immunis sit, qui legit ejusmodi librum, vel libellum à Catholico editum, etsi in eis hæresis, & doctrinæ *Hæreticorum* ad longum de verbo ad verbum pro refutatione referantur.

39 Cæterùm si Author libri est *Hæreticus*, & liber hæresin continet, vel de Religione tractat, Lectio illius vi Bullæ Cœnæ prohibita est, sive liber sit Typo impressus, sive manuscriptus. Castro Palao *loc. cit.* Suarez *Disp.* 20. *sect.* 10. *numer.* 2. Layman *loc. cit.* Sanchez *loc. cit. numer.* 14. cum Communi; quia manuscriptus verè etiam est, & dicitur liber *Hæretici*, consequenter æquè ac impressus, censetur prohibitus; præsertim cùm eadem de illo, ac isto militet ratio; ubi autem eadem est ratio, eadem est Legis dispositio, *arg. l. Ideò. ff. de Legib.* & *l. Non possunt. ff. eod.* cum Concordantiis. Et aliàs facilè eludi posset salubérrima hæc prohibitio.

40 Controversia autem inter DD. est, num etiam vi præfatæ Bullæ Cœnæ prohibita sit Lectio Epistolæ, Concionis, Orationis, vel alterius similis brevioris scripti, aut impressi in paucis foliis duntaxat consistentiis libelli, aut Opelli, de Religione tamen agentis, aut hæresin continentis, eamque impugnantis, & ab *Hæretico* editi? Layman siquidem *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 15. *numer.* 3. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 10. *numer.* 29. Bonacina *Disp.* 2. *de Censur. quæst.* 5. *pun.* 4. Durandus *lib.* 2. *in Can.* 1. *q.* 44. *numer.* 6. Herincx *Disp.* 9. *de Fide. q.* 8. *numer.* 86. negativam saltem probabilem esse putant, ducti ratione: Tum quia hujusmodi Epistolæ, Conciones paucorum foliorum in Tractatum non redactæ, propriè non veniunt libri nomine secundùm communem loquendi usum accepto; consequenter, cùm verba Legis pœnalis strictè sint interpretanda, *c. Odia. de Reg. Jur. in* 6. in Bulla Cœnæ Lectionem librorum hæreticorum prohibente, comprehendi non videntur: Tum quia veri libri diutiùs conservari, latiùs diffundi, majorisque authoritatis esse, & consequenter majus periculum generare solent, quàm similes Epistolæ, Conciones &c. formam Tractatûs non referentes.

41 Econtrà verò Farinacius *de Hæresi. q.* 180. *num.* 30. & 31. Suarez *Disp.* 20. *sect.* 2. *numer.* 10. & alii Affirmativam tuentur; quam etiam ut probabiliorem, & in praxi tenendam censet Palao *de Infidelitate. Tr.* 4. *Disp.* 2. *punc.* 10. §. 1. *num.* 4. & 5. Layman quoque eam verisimilem dicit. Cujus sententiæ plures afferunt rationes. *Primò*; quia ratio Legis, periculum videlicet perversionis, ob quod Bullâ Cœnæ prohibita est Lectio librorum hæreticorum, idem reperitur in hujusmodi etsi paucorum foliorum Concionibus, Epistolis, aliisve parvis Scripturis, quod in majori aliquo unam, vel alteram solummodò hæresin continente libro; præsertim, si, uti fit, in hujusmodi Concionibus hæresin ex professo propugnant, & refutare omnibus viribus satagunt. Ubi autem eadem est ratio, eadem est Legis dispositio. *l. Illud. ff. ad Legem Aquil.* & *c. Inter corporal. de Translat.*

42 *Secunda* ratio est; quia dùm Bullâ prohibetur liber Authoris hæretici, prohibetur quoque quævis pars etiam modica illius, v. g. Procœmium, Præfatio, Epistola Dedicatoria illius, prout omnes etiam Adversarii fatentur; ergo etiam Conciones, & aliæ separatæ parvæ Scripturæ hæretici Authoris; cùm licèt actu non sit pars magni libri, tamen esse valeant, & interea idem, quin & subinde longè majus perversionis periculum, quàm plures conjunctæ partes majoris libri, vel totus liber habeant.

43 *Tertia* ratio desumitur ex Declaratione Congregationis, quæ interrogata circa Decretum *Concil. Trident. Sess.* 4. *de Editione librorum*, emanatum; quænam comprehendantur ibidem Nomine libri? Respondit: Comprehendi sub illo etiam *Conciones, Lectiones, Disputationes*, & similia; Ergo etiam in casu nostro, Bulla Cœnæ prohibendo Lectionem librorum Authoris hæretici, censenda est prohibere quoque Conciones, & alias paucorum foliorum; præsertim cùm in his eadem ratio, & idem, vel majus periculum perversionis inveniatur juxta dicta, & dicenda infrà.

44 Nec in contrarium efficaciter quid probare videntur fundamenta Adversariorum *num.* 40. posita. Nam *posterius* quasi verò non militaret eadem ratio, jam patet per dicta *num.* 41. Ad *prius* verò, quòd Conciones, Epistolæ &c. non veniant Nomine libri, respondetur, Authores Bullæ Cœnæ prohibendo libros *Hæreticorum*, reverà intendisse, & voluisse prohibere omnia illorum Opera, sive magna, sive parva, sive impressa, sive scripta, ex quorum Lectione imminere potest legenti periculum perversionis, sive dein in stricto ac communi sensu liber dici valeat, sive non. Consequenter, cùm juxta dicta *numer.* 41. etiam in Lectione similium Concionum, ac modicarum Scripturarum idem, imò subinde majus perversionis periculum subsit, propter verbum Legis, contra intentionem illius judicare non debemus, *Nam non debet quis verba Legis considerare, sed voluntatem & intentionem*; *quia non debet intentio verbis servire, sed verba intentioni*, ut dicitur *can. Humanæ aures cau.* 22. *quæst.* 5. & *l. Scire.* 16. *ff. de Leg.* ibi: *Scire leges, non hoc est, verba eorum tenere, sed vim, & potestatem*: ac *c. Certum est. de Reg.*

Reg. Jur. in 6. ibi: *Certum est, quòd is committit in Legem, qui legis verba completens, contra Legis mittitur voluntatem*; quæ etiam in pœnalibus, & odiosis procedunt, prout amplius diximus *Lib. I. Tit. II. de Constit.* §. *XVII. à n.* 429.

45 Confirmatur: Si ex hac ratione, quòd Conciones &c. non veniant nomine libri propriè accepti, non comprehenderentur sub prohibitione Bullæ Cœnæ, sequeretur etiam, Opuscula, seu Libellos modicos in Octava v. g. vel Decimâ formâ non esse comprehensos; quia etiam non sunt libri, sed libelli duntaxat, consequenter in materia odiosa nomine Libri non venientes; atqui sequela est absurda, & contra ipsos Adversarios: ergo.

Ob has igitur, & similes rationes sententiam *Affirmativam* nos quoque probabiliorem reputamus, eamque in praxi omnino suademus, quamvis sententiam *Negativam*, dicentem, memoratas Conciones, & alias similes paucorum foliorum breves Scripturas Authoris hæretici non esse per Bullam Cœnæ prohibitas, ut penitus improbabilem pronuntiare nolimus.

46 II. Conditio requisita ad hoc, ut liber *Hæretici* per Bullam Cœnæ prohibitus censeatur, est, ut vel de Religione tractet, vel saltem hæresin contineat, ita ut alterutrum horum sufficiat; quia, uti ex textu patet, Bulla disjunctivè loquitur, per dictionem *vel*, quæ alterutrius subsistentiâ verificatur *arg. l. Eum. ff. Quando dies legati, l. Si illud. ff. de Legat.* 2. cum Concordantiis. Ut autem ad propositum dicatur de *Religione* tractare, debet ex professo, seu institutò tractare de illa, v. g. de Theologia Scholastica, Morali, vel Mysticâ, hoc est, de Mysteriis Fidei, cultu Dei, & Sanctorum, de Scriptura sacra, de peccatis, de conscientia, de Moribus in ordine ad finem naturalem rectè instituendis &c. ita, ut non sufficiat obiter tanquam de hujusmodi objecto agere, uti bene advertit Sanchez *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 34. ubi tamen etiam meritò addit, non esse necesse, ut principale argumentum vel objectum libri sit de *Religione*, sed sufficere, si incidenter, & per accidens, ita tamen notabiliter de *Religione* tractet, ut arbitrio prudentis censeatur ex professo, vel instituto, & non obiter de illo agere. Porro si de *Religione* agat, Lectio illius prohibita est, etsi nullam penitus *hæresin* contineat. Et hæc extra Controversiam esse, meritò ait Layman *loc. cit.*

47 Magna autem Controversia est de altera divisiva Conditione, *vel hæresin continet*, quidnam videlicet requiratur, & sufficiat ad hoc, ut liber dicatur continere *hæresin* in *sensu Bullæ Cœnæ*: præsertim an *hæresin* sufficienter continere, indeque sub Excommunicatione reservatâ prohibiti esse censeantur *hæreticorum* Authorum libri illi, qui ex professo, vel instituto principaliter nec de *Religione*, nec de *Hæresi*, sed aliâ materiâ & objecto v. g. Philosophiâ, Medicinâ, Historiis, rebus politicis &c. tractant, unam tamen, vel plures *Hæreses* per accidens, aut incidenter hinc inde inspersas habent. Circa quam Controversiam, ut certa ab incertis separemus.

48 Notandum primò, certum esse, ad hoc, ut liber in sensu Bullæ *Hæresin* continere, indeque prohibitus censeatur, neutiquam requiri, ut liber principaliter agat de *Hæresi*, sed sufficere, si unam vel alteram *Hæresin* per accidens contineat, eamque ex instituto, aut professo, seu notabiliter deducat, proponat, defendat, multumque probare, legentive persuadere conetur, etsi juxta tenorem Frontispicii principaliter de alio objecto, vel materiâ, Medicina v. g. tractet. Ratio est; quia Bulla non requirit, ut liber de Hæresi principaliter agat, sed tantùm ut vel de *Religione* tractet, vel *Hæresin* contineat, quarum hæc posterior pars utique saltem tunc verificatur, si præfato modo liber *Hæresin* continet; quia tunc perversionis periculum jam adest, ob quod principaliter prohibita esse videtur Lectio libri *Hæresin* continentis, vel de *Religione* tractantis.

49 Sola itaque difficultas remanet de hæreticorum libris illis, qui neque de religione nec de *Hæresi*, sed aliâ profanâ materiâ, vel objecto, Medicinâ, v. g. Philosophiâ, Statu politico &c. tractantes, unam quidem, vel etiam plures *Hæreses* hinc inde dispersas continent, nullam tamen earum ex instituto, aut notabiliter propugnant, vel defendunt, aut probare, vel persuadere conantur, sed simpliciter tantùm referunt, vel ad summum obiter duntaxat, & brevissimè, ac sine ulla aliqua apparente ratione, aut argumento propugnant. Sanchez siquidem *lib.* 2. *Moral. cap.* 10. *num.* 34. Suarez *p.* 3. *tr.* 5. Palao *de Infidelitate, Tr.* 4. *Disp.* 2. *pun.* 10. Bonacina *Disp.* 2. *q.* 5. *pun.* 4 *num.* 19. Farinacius *de Hæresi. q.* 180. *num.* 22. & alii docent, etiam talem librum in Bullâ Cœnæ sub Excommunicatione prohibitum censeri; quorum sententiam verbi Bullæ conformiorem etiam judicat Laymanus *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 15. *num.* 3. eò, quòd Bulla plus non requirat, quàm ut liber, vel de *Religione* tractet, vel *Hæresin* contineat; in tali autem libro *Hæresis* revera continetur, consequenter conditio Bullæ adimpleta habetur; cùm in alternativis, seu disjunctivis alterutrum verificari sufficiat per Juran. 46. citata.

50 Econtrà idem Layman *loc. cit. num.* 4. docet, hujusmodi hæreticorum Authorum libros *Hæresin* simpliciter tantùm referentes, aut obiter propugnantes, in partibus nostris Germaniæ non obstante Bullâ Cœnæ licitè legi posse, quia (ait ipse) illa Constitutio Bullæ secundùm talem rigorem recepta non est. Idem docent nunc plerique post Layman, scribentes, ut Piching *h. t. nu.* 20. & alii nullo alio ducti fundamento, quàm quòd Layman dicat, Bullam Cœnæ secundùm talem rigorem in Germania non esse receptam; prout etiam ipsum solum, ejusque opinionem de Bulla secundùm talem rigorem non recepta, pro fundamento suæ sententiæ citant, ut proin solum præfatum Laymani dictum pluribus Recentioribus ansam præbuerit, docendi, & tenendi, Bullam Cœnæ in his partibus secundùm omnem rigorem non esse receptam, indéque tutò legi posse hæreticorum Authorum libros, *Hæresin* unam, vel plures simpliciter referendo, aut obiter duntaxat propugnando continentes.

51 Nos autem (salvâ authoritate & judicio Ecclesiæ) omnino probabile censemus, præfatos Hæreticorum libros, qui juxta tenorem Frontispicii, nec de *Religione*, nec de *Hæresi*, sed aliâ profanâ materiâ, aut objecto, v. g. Philosophiâ, Medicinâ, Mathesi, Historiis profanis, Statu politico &c. principaliter tractantes, unam, aut plures *Hæreses* continent quidem, nullam tamen earum ex professo & instituto, aut notabiliter propugnant, sed simpliciter referunt, aut obiter duntaxat, brevissimè simulque apertè futiliter propugnant, in omnibus, non tantum Germanis, sed etiam aliis absque ulla læsione Bullæ Cœnæ tutâ conscientia legi posse, nisi alia prohibitio obstet. Ad hanc autem Opinionem neutiquam movemur Laymani, & illum sequentium fundamento, utpote periculoso, & minùs subsistente juxta dicenda infrà *in* 79. sed alio, illo videlicet, quòd hujusmodi libri per Bullam Cœnæ non videantur prohibiti, prout per sequentia probamus.

52 Ubi universaliter deest, vel non reperitur ratio & finis legis, ibi etiam deest, vel non reperitur, nec datur lex, aut obligatio, etsi verba legis eam insinuare videantur; sed in *Hæreticorum* libris, qui principa-

principaliter de re profana, Medicinâ v. g. Philosophiâ, Historiâ, Statu politico &c. tractantes, unam vel plures *Hæreses* simpliciter duntaxat referunt, vel eam nonnisi obiter, brevissimè, & aperte futiliter defendunt, universaliter deest, & non reperitur ratio, & finis legis; ergo respectu illorum non datur lex, nec obligatio ipsius.

53 *Major* videtur certa; quia juxta illud vulgatum Doctorum; *Ratio legis, est anima legis*, ita ut Abbas *in c. Ad audientiam, de Decimis. num.* 2. dicat: *habent se verba & intentio, seu ratio, sicut corpus, & anima; nam sicut anima dominatur corpori, ita ratio legis dominatur verbis*; ergo, ubi universaliter deest, & non reperitur ratio, finis, seu intentio tanquam anima legis, etiam ipsa lex abest, etsi verba legis ejus præsentiam insinuare videantur. Nam pro commoditate Lectoris, & materiæ dignitate hic iterum repetitur, quod supra jam dictum ex *can. Humanæ aures. cau.* 22. *q.* 5. *Non debet aliquis verba considerare* (intellige nudè & simpliciter) *sed voluntatem, & intentionem, quia non debet intentio verbis servire, sed verba intentioni.* Et hinc *l. Scire.* 16. *ff. de Legib. Scire leges, non hoc est, verba earum tenere, sed vim, & potestatem.* Et *c. Certum est.* 88. *de Reg. Jur. in* 6. *Certum est, quod is committat in legem, quis legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.*

54 Probatur itaque *Minor*; Ratio, finis, & intentio, quare sollicita Mater Ecclesia per Bullam Cœnæ sub Excommunicatione gravissimè prohibuerit, & etiamnum prohibeat Lectionem *hæreticorum* librorum de *Religione* tractantium, aut *Hæresin* continentium fuit, & est, evitare periculum perversionis, & *Hæresum* propagationem, seu ne Legentes hujusmodi librum, ex Lectione illius se conficiant in periculum perversionis, & *Hæreses* ulterius serpant, prout habet communis Doctorum, & amplius dictum est suprà. Atqui in allegatis *nu.* 51. libris, & Lectione illorum universaliter abest, seu nullum reperitur perversionis periculum: universaliter enim loquendo, sicut nemo prudenter præsumitur, pati aut subire periculum perversionis ex hoc solo, quòd simpliciter & nudè sciat, aut audiat, *Hæreticos* hanc, aut illam *Hæresin* tenere, v. g. *non dari Purgatorium, Matrimonium non esse Sacramentum &c.* ita etiam universaliter loquendo, nemo prudenter præsumi potest pati tale periculum ex hoc solo, quòd id nudè, & simpliciter, vel obiter relatum, in libro legat.

55 III. Conditio requisita ad hoc, ut quis legendo librum Authoris *hæretici* de *Religione* tractantem, aut *Hæresin* continentem incurrat Excommunicationem Bullæ Cœnæ est, ut *scienter* legat; id est, ut sciat librum esse Authoris *hæretici* & tractare de *Religione*, vel *Hæresin* continere. Omnes. Ratio est; quia Bulla expresè requirit: ibi: *Scienter legentes.* Hinc, qui vel non scit Authorem libri esse *hæreticum*, vel si id sciat quidem, ex tenore tamen, vel aliunde deceptus ignorat, illum de Religione tractare, vel *Hæresin* continere, Excommunicationem vi Bullæ Cœnæ non incurrit; etiamsi ignorantia esset crassa, aut supina. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 10. *num.* 38. Layman *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 14. *num.* 4. Universaliter enim, quando in Lege ad incurrendam Censuram requiritur *scientia*, excusat ignorantia etiam crassa, ut post Covarruviam *in c. Alma Mater. p.* 1. §. 10. *num.* 17. Sylvester ✝. *Ignorantia. q.* 8. *dict.* 4. & alios, bene docet & probat Sanchez *lib.* 9. *Disp.* 32.

56 IV. Conditio est, ut legatur *sine authoritate*, seu *licentia Sedis Apostolicæ*, uti expresè requirit Bulla Cœnæ. Hinc qui vel à Summo Pontifice, vel alio habente facultatem Pontificiam concedendi Lectionem librorum *hæreticorum*, specialem habet licentiam, legendi dictos libros, à Censura utique immunis erit. Et talem facultatem à Summis Pontificibus specialiter sibi concessam ordinariè habent Episcopi Germaniæ, vi cujus non tantùm ipsimet legere, sed etiam aliis concedere possunt licentiam legendi libros hæreticos, & alios quomodolibet prohibitos paucis exceptis; uti patet ex copia hujusmodi facultatum à Sede Apostolica concessarum moderno nostro Reverendissimo ac Celsissimo S. R. I. Principi, & Episcopo Frisingensi, quam per extensum adduximus *in Tom.* 4. *in Appendice. n.* 22.

Circa quæ tamen privilegia, seu potiùs facul- 57
tates (privilegia enim ex natura sua perpetuò durant, hæ verò facultates ordinariè ad quinquennium duntaxat per dicenda *num. seq.*) aspiciendus, & exactè observandus est tenor ipsarum, ne excedatur. Et hinc licet Pontifices concedendo Ordinariis præsertim Germaniæ hujusmodi facultates, etiam addere soleant potestatem communicandi etiam aliis has facultates, tamen quia hæc potestas communicandi plerumque non universaliter, sed quoad Sacerdotes duntaxat datur, uti passim videre est ex Copiis facultatum, & in specie ex Copia illarum, quæ nostro Reverendissimo & Celsissimo Ordinario Frisingensi sunt concessæ, & *Tom.* 4. *in Appendice. num.* 22. allegatæ: ibi: *num.* 20. *Communicandi has facultates in totum, vel in partem, prout opus esse secundum conscientiam judicaverit*, NB. *Sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus*, non potest noster Reverendissimus & Celsissimus Ordinarius facultatem tenendi & legendi libros *hæreticos*, & alios prohibitos communicare alicui quantumvis docto Laico, nec cuivis simplici Sacerdoti, sed *solis Sacerdotibus idoneis in Cura animarum laborantibus*, & quidem his non aliter, quàm ad finem *& effectum eos impugnandi, præter opera Caroli Molinei, Nicolai Machiavelli, & libros de Astrologia judiciaria principaliter aut incidenter de ea tractantes*, quia ita & non aliter sonat tenor facultatis Apostolicæ *num.* 2. & 20. Quod idem observare habent alii Reverendissimi Ordinarii, nonnisi similis tenoris facultatem habentes; qui tenor proin bene inspiciendus, considerandus, & observandus est.

Porro memoratæ à Sede Apostolica Reverendissi- 58
mis Ordinariis concedi solitæ facultates, ordinariè ad solum quinquennium, vel quadriennium dantur, quo elapso iterum necessariò de novo peti, & renovari debent; adeò, ut, si Ordinarius post elapsum hujusmodi tempus tali facultate aliàs de Jure sibi non competente uteretur, v. g. dispensaret super *dirimente* impedimento Criminis, non tantùm graviter peccaret, sed nulliter etiam ageret, per ea, quæ de Dispensatione Legum diximus *Lib. I. Tit. II. §. XVIII.* Quapropter illi, quibus ex Officio incumbit, bene attendere debent, quandonam tempus præfixum elabatur; quatenus renovatio facultatum in tempore fieri, & nullitates evitari valeant.

Dubium hic moveri potest, an Reverendissimus 59
Episcopus, qui vigore hujusmodi facultatum Apostolicarum ad quinquennium libros *hæreticos*, aliosque prohibitos, tenere, & legere, atque hanc legendi facultatem etiam aliis idoneis Sacerdotibus communicare potest, possit eam communicare in perpetuum, vel saltem ad quinquennium, etiam tunc, quando eam communicat tempore, quo ob lapsum illius, per unum, vel alterum duntaxat annum amplius durant facultates eidem concessæ, posteà de novo renovandæ? Et quidem circa *primam* partem dubii videtur certum, quòd, cùm ipse Ordinarius non in perpetuum, sed ad quinquennium duntaxat concessum habeat facultatem tenendi ac legendi libros *hæreticos* &c. Eam in perpetuum, vel ultra quinquennium aliis concedere minimè valeat; *Quia nemo potest dare, quod non habet*: per Vulgata.

60 Circa *alteram* verò dubii partem non modica videtur difficultas: pro *Negativa* enim militare videntur sequens argumentum: tempore & casu, quo facultas legendi libros *hæreticos* Ordinario specialiter concessa, de facto non ampliùs, quàm per unum duntaxat, vel alterum annum durat, ipsemet non ampliùs habet potestatem per quinquennium legendi & tenendi libros *hæreticos*; ergo eam nec aliis ulteriùs concedere potest; juxta illud vulgatum; *Nemo potest dare, quod non habet.*

61 Confirmatur: Reverendissimus Ordinarius aliquis vigore præfatarum facultatum non habet majorem potestatem communicandi aliis v. g. suo Vicario Generali, aut aliis idoneis Sacerdotibus facultatem legendi libros prohibitos, quàm facultatem dispensandi super certis impedimentis Matrimonii; atqui hanc non potest ultrà tempus sibi concessum communicare, seu non potest ultimo v. g. vel penultimo quinquennii sibi concessi anno dicto facultatem dispensandi super impedimentis Matrimonii, ad novum integrum quinquennium communicare suo Vicario Generali, ita ut hic etiam elapso in facultatibus præfixo quinquennio, per tres adhuc, vel quatuor annos fine renovatione facultatum expiratarum validè & licitè dispensare valeat: Tum quia contrarium habet consuetudo (quæ est optima legum interpres *L.* 37. *ff. de Legib.*) vi cujus constat, quòd elapso præfato quinquennio nullus ab Episcopo communicata facultatem dispensandi habens v. g. Vicarius Generalis eâ uti audeat: Tum quia aliàs Reverendissimi Ordinarii intentionem summi Pontificis in quinquennio positam, facilè eludere, & facere possent, ut facultates ad quinquennium sibi concessæ, ad decennium sive ulla renovatione durarent; dummodò videlicet ultimo quinquennii mense aut die, ea alicui alteri v. g. Vicario Generali, vel Consiliario alicui Ecclesiastico communicarent; tali enim in casu à die communicationis adhuc ad integrum quinquennium novum valerent, & sic utique in effectu ad decennium darent, quod menti Pontificis adversari videtur; ergo.

62 Dices, Reverendissimus Ordinarius pro tanto tempore communicare valet facultates præfatas, quanto eas ipse à Papa concessas habet, uti patet ex tenore concessionis; atqui ille ad quinquennium illas habet; ergo ad idem easdem communicare valet. Resp. Distinguendo *Majorem*. Si illas statim à die receptionis alteri communicat, concedo *Majorem*; Si post tres, vel quatuor annos jam elapsos, primùm communicat, nego *Majorem*; quia cùm pro tunc ipsemet ad unum duntaxat, vel alterum annum eas habeat, easdem ad tempus ulteriùs ampliùs communicare nequit.

63 Verùm circa hanc difficultatem *à nu.* 60. huc usque ventilatam, positivè aliquid resolvere non audemus, sed potiùs Oraculum S. Congregationis exoptamus, illud tamen ad vitanda nullitatis pericula humiliter suademus, ut dum Reverendissimi Ordinarii facultatem legendi libros *hæreticos*, & alios prohibitos, aut dispensandi v. g. aliis concedunt, nulli ad plures annos, aut longius tempus, quàm ipsi eandem tempore communicationis adhuc habent, communicent; consequenter in Communicatione scriptotenùs, vel oretenùs facienda, memoratum tempus specificent, ne aliàs Communicatarii talem facultatem vel in perpetuum, vel saltem ad quinquennium sibi concessam, bonâ fide existiment, eaque cum memorato nullitatis periculo utantur, prout à parte rei factum esse, novimus.

Cæterùm, ut in compendio habeatur notitia de 64
Lectione librorum *hæreticorum* per Bullam Cœnæ prohibitâ, breviter capitulando dicimus; ad hoc, ut liber aliquis censeatur per Bullam Cœnæ sub Excommunicatione prohibitus, requiruntur sequentes conditiones.

I. Ut ipse Author libri sit *Hæreticus*, juxta dicta *n.* 36.

II. Ut de *Religione* tractet, vel *Hæresin contineat*, conformiter dictis, *n.* 46.

III. Ut quis scienter, id est, sciens librum ab *Hæretico* compositum, de *Religione* tractare, aut *Hæresin* continere illum legat, secundùm dicta *n.* 55.

IV. Ut sine Sedis Apostolicæ facultate directè, vel indirectè sibi concessâ eum legat, per dicta *nu.* 65.

Resp. III. Ab Excommunicatione per Bullam 65
Cœnæ in legentes librum prohibitum latâ, non excusantur docti, qui concurrentibus hactenus quatuor conditionibus hujusmodi librum *hæreticum* legunt, etiam solo animo errores *hæreticos* impugnandi, & confutandi. Farinacius *de Hæresi q.* 180. *n.* 39. 42. Suarez *Disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 21. Palao *de Infidelitate. Tr.* 4. *de Fide. Disp.* 2. *pun.* 10. *num.* 8. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 10 *n.* 53. cum Communi aliorum, contra Felinum *in c. Si quis Episcopus. h. t.* Mascard. *de Probat. concl.* 862. *n.* 14. Ratio est, quia Bulla generaliter & indistinctè loquitur; ergo indistinctè erit intelligenda, *arg. c. Quia circa. de Privileg.* præsertim cùm addatur clausula, quâ prohibetur librorum præfatorum Lectio; *Ex quavis causa, quovis ingenio, vel colore.*

Nec juvat, si dicas; apud hunc, vel illum non 66
adest, sed cessat ratio, seu causa Legis prohibentis, videlicet, perversionis periculum. Nam contra est; quòd causâ, seu ratione legis respectu unius, aut plurium in particulari duntaxat cessante, obligatio legis etiam respectu talium non cesset, si respectu totius Communitatis adhuc durat, ut habet Communissima & certa tam Theologorum, quàm Canonistarum *ad Tit. de Constitut.* cùm aliàs facilè eliderentur leges, & magna atque scandalosa confusio foret in populo, quolibet pro libitu dicente, apud me non militat ratio, seu finis Legis.

Resp. IV. Excusat tamen ab Excommunicatio- 67
ne Bullæ Cœnæ parvitas materiæ, quæ in libro *hæretico* legitur. Sanchez *loc. cit. num.* 31. Layman *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 15. *num.* 5. Palao *loc. cit. num.* 6. Bonacina *de Censur. q.* 5. *pun.* 4. *num.* 13. cum communi aliorum, contra Toletum & paucos alios volentes, Excommunicationem incurrere illum, qui modicissimam materiam v. g. unam, vel alteram lineam legit; præsertim, si intentionem habuit plura legendi. Ratio Conclusionis nostræ est; quia cum universaliter loquendo, in aliis legibus Ecclesiasticis præsertim gravissimam Excommunicationis Censuram infligentibus excuset parvitas materiæ, juxta unanimem DD. non apparet, quare in hac Lege non excuset.

Parvitatem autem materiæ communiter dicunt, 68
esse paucas v. g. quinque, sex, vel etiam decem lineolas. Sanchez verò *loc. cit.* post Vivaldum, & Sa extendit illam usque ad unam integram paginam libri etiam in Folio impressi; eò quòd regulariter loquendo non videatur subesse aliquod perversionis periculum in Lectione unius paginæ. Verùm Layman *loc. cit. num.* 5. Suarez, Bonacina, & alii hanc extensionem nimiam esse, meritò dicunt,

eò quòd versemur in materia periculosa, in qua non sunt laxandæ habenæ; cùm in pagina magni libri in Folio impressi hæresis inspersa facilè ita deduci ac propagari possit, ut periculum perversionis subsit, consequenter ratio legis, indéque obligatio adsit, *arg. can. Consuetud. dist.* 1.

69 Accedit, ipsum Sanchezium, & alios fateri, excommunicari legentem, si tantùm Epistolam dedicatoriam, vel Præfationem legat; uti videre est apud Sanchez *loc. cit. n.* 3. Ergo multò magis, si ipsam libri substantiam in quantitate Præfationi æquali legat, *arg. à Minore ad Majus* desumpto. Illud communiter concedunt, eum, qui plùs, quàm hujusmodi paginam legit, Excommunicationem certò incurrere.

70 Nec excusatur, si in illis paginis, quas legit, de *Religione* nullatenus tractetur, nec *Hæresis* contineatur, ut cum Communi bene advertunt Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 10. *num.* 33. Layman *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 15. *num.* 5. Suarez, Ugolinus, &c. Ratio est; quia Bulla Cœnæ, quæ omnem aditum legendi libros *hæreticos* præcludere intendit, ad incurrendam dictam Censuram non requirit, ut quis legat ipsam *Hæresin*, vel materiam de Religione tractantem, sed tantum ut legat librum, in quo *Hæresis* continetur, vel de *Religione* tractatur. Quapropter citati DD. insuper volunt, Excommunicationi subjacere etiam illum, qui Proœmium, Epistolam dedicatoriam ad Lectorem, vel Indicem talis libri legat, juxta jam dicta.

Jam circa Retentionem, Impressionem, & Defensionem librorum *hæreticorum*.

71 Resp. V. Omnes, & soli libri Authoris *hæretici*, quorum Lectio per Bullam Cœnæ est prohibita, prohibentur etiam retineri, imprimi, & defendi, adeò, ut sicut Excommunicationem Papæ reservatam ipso facto incurrit, qui talem librum scienter, & absque speciali Sedis Apostolicæ licentia legit, ita etiam eandem incurrat, qui retinet, vel imprimit. Omnes ob claram Bullæ dispositionem §. 1. eodem modo tam de retinentibus, & imprimentibus, quàm de legentibus loquens illis verbis: *Legentes; & retinentes, aut imprimentes, aut quomodolibet defendentes ex quavis causa.*

72 Dicitur autem *retinere*, sive suo, sive alterius nomine, sive in propria, sive in aliena domo librum retineat, ex quacunque dein causâ aut fine id faciat, curiositatis v. g. gratiâ, aut ad Bibliothecæ ornamentum, confutandum *Hæreticos*, distrahendum, commutandum illos &c. Sanchez *lib.* 2. *Moral. Disp.* 10. *nu.* 52. & 53. Castro Palao *Tract.* 4. *de Fide. Disp.* 2. *punc.* 10. §. 2. *nu.* 7. & *seq.* eoque tenetur Omnes, Layman *lib.* 2. *tr.* 3. *cap.* 15. *num.* 7. Ratio est; quia Pontifex absolutè prohibet omnem retentionem hujusmodi librorum, sub quacunque tandem causa fiat; cùm velit eos penitus exterminari. Hinc inferunt præfati DD. excommunicatos etiam esse Bibliopolas, & Bibliopegas, qui hujusmodi librum ad distrahendum, vel compingendum retinent.

73 Sufficit quoque ad incurrendam Excommunicationem; si quis partem libri retineat, Sanchez *loc. cit. num.* 54. quia verè dicitur *retinere* librum, sicut dicitur *legere* librum, qui partem illius legit, juxta dict. Hinc idem Sanchez *loc. cit. num.* 53. excommunicatos censet Aromatarios, Mercatores, & quosvis alios, qui hujusmodi libros, aut partes eorum retinent ad involvendas merces, aut similia.

74 Verum sicut in legendo, ita etiam in retinendo datur parvitas materiæ, ut si quis brevi tempore per unum vel alterum duntaxat diem v. g. librum retinet. Sanchez *loc. cit. num.* 55. Palao *loc. cit. nu.* 8. Layman *loc. cit. num.* 7. vel si unum, duo, aut tria folia retineas; quia etsi non respectu Lectionis, tamen respectu retentionis hæc videntur esse parvitas materiæ. Sanchez *loc. cit. n.* 54.

Excusatur etiam à peccato, & Censurâ, qui longiori tempore librum talem retinet ex eo; quia non habet opportunum tempus, & occasionem illum tradendi Inquisitoribus, vel habenti licentiam eos legendi & retinendi. Layman *loc. cit. num.* 7. Palao *loc. cit. n.* 10. 75

Si quæras: Quid ergo incipiendum cum istis libris, si ad manus alicujus deveniant? Resp. Ad id patere infrà. 76

Imprimentes quod attinet, notandum cum Sanchez *lib.* 2. *Disp.* 10. *num.* 57. Layman *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 15. *nu.* 7. Palao *de Fide. Tract.* 4. *disp.* 2. *punc.* 10. §. 2. *num.* 13. Ugolino *de Censuris Papæ reservatis. p.* 2. *cap.* 1. ℣. *Imprimentes.* & aliis, hoc nomine comprehendi omnes, qui ad libri Impressionem propinquè concurrunt, & veræ illius causæ sunt, veluti *primo* illos, qui librum imprimendum tradunt, seu alios, quorum nomine liber imprimitur. *Secundò* Typographum, aut Patronum Officinæ, qui suscipit, etsi propriis manibus non laboret. *Tertiò* Omnes qui ad Typum actualem in opere concurrunt, v. g. qui collocant litteras, qui præparant, aut apponunt papyrum, atramentum, seu colorem, qui premit torcular; quia omnes isti verè sunt causa Impressionis. Idem dic de iis, qui librum pro Typo corrigunt, præsertim, quia etiamsi dato non concesso, nomine *Imprimentium* non venirent, tamen nomine *Legentium* venirent, & excommunicati essent. Palao *loc. cit. n.* 13. 77

Quantùm ad *Defendentes* notandum, horum nomine venire, qui quocunque prætextu vel causâ librum *Hæretici*, quatenus talis defendunt, & tuentur verbis, vel facto; abscondendo v. g. illum, aut impediendo, ne Inquisitoribus tradatur, aut ne comburatur: aut idem verbis suadendo, sive publicè vel occultè id faciant. Layman *loc. cit. nu.* 7. Sanchez *loc. cit. nu.* 58. Palao *loc. cit. num.* 14. cum Communi aliorum, textu claro Bullæ §. 1. Meritò tamen *loc. cit.* observat Sanchez, eum, qui librum aliquem defendit, verè demonstrando, illum prohibitum non esse, vel approbando, quod in eodem Catholicum est; aut præcisè laudando ingenium Authoris, vel stylum libri, idque non in ordine ad tuendum, non comburatur, aut Inquisitoribus tradatur, Excommunicationi non subjacere. 78

Objicies contra hactenus dicta, & responsa ad Quæstum *à num.* 35. de librorum hæreticorum Lectione, Retentione, Impressione, Defensione per Bullam Cœnæ prohibita, dicendo, Bullam Cœnæ vel omnino non, vel non tanto cum rigore esse receptam in Germania, consequenter ibidem penitus non, vel non tanto cum rigore obligare. 79

Hanc Objectionem aliquoties non absque justâ indignatione & audivimus, & legimus, in quibusdam recentioribus Scriptoribus, nullum aliud fundamentum afferentibus, quàm quòd ita dicat Layman, quem proin solum allegant: hic enim cæteroquin Classicus clarissimus & doctissimus Author *Lib. II. Tract. I. cap.* 15. *num.* 4. volens defendere, quòd librorum *Hæreticorum* obiter tantùm *Hæresin* inspersam habentium Lectio in his partibus non sit prohibita, præfato utitur argumento, illis verbis: *Verum tamen in partibus nostris Septentrionalibus Bullaris hæc Constitutio secundùm talem rigorem recepta non est. Multi enim frequenter prodeunt Hæreticorum libri, Juridici, Medici, Historici, quibus plerumque reperias unam, vel plures Hæreses obiter admixtas; & tamen passim in*

in Catholicorum Bibliothecis asservantur, leguntur.

Eodem *num.* paulò inferius adducit Becanum supponentem, Bullam Cœnæ in aliquibus præsertim Germaniæ locis omnino non esse receptam, ac propterea ibidem non obligare. *De reliquis verò præsertim remotioribus Diœcesibus* (pergit Layman) *non satis mihi constat: Ait autem Becanus* 2. 2. *cap.* 15. *q.* 8. *num.* 5. *ubi Bulla Cœnæ, vel Index librorum prohibitorum receptus non est, Catholicos in Germania non excommunicari, qui legunt libros hæreticos.*

80 Solâ itaque hac Laymani assertione, & allegatione plures moti docent, Bullam Cœnæ quoad Lectionem librorum *hæreticorum* in Germania secundùm rigorem non esse receptam: Imò in discursibus aliquos & quidem (quod dolendum est) etiam Ecclesiasticos sæculares & Regulares nonnunquam audire est, qui dicere audent, Bullam Cœnæ absolutè non esse receptam; & per consequens non obligare in his partibus. Quæ doctrina cùm non tantum sit prorsus insolida, sed etiam Statui Clericali, atque Immunitati & Jurisdictioni Ecclesiasticæ (cujus potissima, firmissima, ac quasi unica adhuc columna est Bulla Cœnæ) extremè præjudiciosa, eam ex professo refutare, utile & necessarium esse duximus.

81 Quapropter ad Objectionem *numer.* 79. positam, & tam ad Laymani, quàm Becani, eorumque simplex Assertum respondetur, absolutè negando totum Suppositum, quòd Bulla Cœnæ in aliqua quacunque tandem Provincia, vel loco justè possit non recipi; & per consequens etiam negando, quòd alicubi ita recepta non sit, quin ibidem plenè & secundùm omnem suum verum sensum omnes obliget.

82 Fundamentum Responsionis nostræ desumimus ex *Titulo de Constitutionibus*, seu legibus, & natura, ac qualitatibus Bullæ Cœnæ. Ex *Titulo de Constitutionibus* habemus, quòd juxta communiorem & veram Sententiam ad obligationem justæ Legis non requiratur ejusdem acceptatio ex parte Subditorum, prout latè probavimus *Lib. I. Tit. II. de Constitut.* §. *VI.* per totum; atqui Bulla Cœnæ est Lex justissima, uti Omnes concedunt; ergo ad obligationem illius nulla requiritur acceptatio; consequenter ex ratione non acceptatæ hujus Bullæ malè arguitur, eam non obligare.

83 Nec dicas, esse saltem aliquos Doctores, volentes, ad Legis obligationem requiri acceptationem ejusdem; Nam contra est *primò*, quòd Doctorum horum rationes & fundamenta ita docendi minùs subsistant, prout *cit. Lib. I. Tit. II.* §. *VI.* satis clarè ostendimus, & Sententiam contrariam firmavimus.

84 Contra est *secundò*, quòd etsi dato non concesso, probabile foret, ad obligationem justæ Legis Pontificiæ quoque requiri acceptationem, tamen hodie certum est, quòd populus semper teneatur acceptare justam Legem, & propterea continuò peccet, si eam absque justa causa non acceptet; quia Sententiam contrariam damnavit Alexander VII. in Propositione 28. ita sonante: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.*

85 Ex quo sic argumentamur; Pro nullo loco, Regno, aut Provincia datur vel assignari potest justa & rationabilis causa non acceptandi justissimam & sanctissimam legem in Bulla Cœnæ comprehensam; ergo non potest non acceptari; consequenter omnes ubique, semper, & continuò peccant, si eam non acceptant. *Antecedens* patet: Tum quia nullus Doctorum huc usque, quantùm nobis constat, ausus est scribendo allegare aliquam rationem vel causam in specie, & dicere: hæc est justa & rationabilis causa in hoc, vel illo loco non acceptandi Bullam Cœnæ: Tum quia tota Bulla ex omni parte, ac respectu omnium est justissima, & æquissima, utpote quæ præter Excommunicationem omnium *Hæreticorum* (quæ utique justissima est) in hoc principaliter consistit, quòd sub gravissima Excommunicatione Papæ reservatâ prohibeat actus; ex quibus *Hæresis*, aut periculum illius sequi, vel introduci, vel jam introducta, foveri, & ulteriùs dilatari posset, uti sunt fovere, & defendere *Hæreticos*, legere, retinere, imprimere, aut defendere illorum libros: Item actus, qui adversantur, & præjudicant sanctissimæ libertati, immunitati, aut jurisdictioni Ecclesiasticæ, vel juribus Ecclesiæ Romanæ, vel potestati, authoritati, & Jurisdictioni Christi in terris Vicarii, Summi Pontificis. Quæ omnes utique ex omni parte evidentiæ justissimæ sunt prohibitiones, adeò ut eas non acceptandi justam & rationabilem causam nullus habere posse videatur; præsertim cùm imaginariæ forsan rationes ac interesse privatorum, bono communi præcipuè verò universalis Ecclesiæ Dei (ob quod prohibitiones memoratæ factæ sunt) semper postponi debeant, *arg. can. Sciat.* 39. *caus.* 7. *q.* 1.

Et profectò ut ad propositum in specie loquamur de prohibitione periculosæ Lectionis, Retentionis, Impressionis, ac Defensionis librorum *hæreticorum*, quænam etiam in Germania, & aliis Provinciis, ubi *Hæretici* cum Catholicis permixti vivunt, vel à longè excogitari, aut fingi potest justa ratio, aut rationabilis causa, hanc sanctissimam prohibitionem non acceptandi? si enim esset aliqua, esset, quia in his partibus jugiter conversari, & continuum commercium cum *Hæreticis* habere debemus; at hoc fieri potest absque ulla Lectione, vel Retentione librorum *hæreticorum* de *Religione* tractantium, aut *Hæresin* continentium, ut consideranti patet. 86

Vel quia cum *Hæreticis* subinde etiam de *Religione* discurrere & disputare, consequenter ex libris eorum ad confutandos eorumdem errores, nos informare oportet: sed nec ista ratio quid valet; quia illi, quibus istud ex officio, aut cura incumbit, statim impetrare & habere possunt à Sede Apostolica specialem facultatem legendi ad hunc finem libros *hæreticos*: reliquis verò præsertim Laicis ordinariè loquendo, non expedit, minùs necesse, imò Jure communi *c. Quicunque.* 2. §. *Ibidem ss. h. t. in* 6. prohibitum est disputare cum *Hæreticis* de *Religione*; qui proin *Hæreticos* prudenter allegant ad pastores animarum, vel tales, quibus id incumbit, ac concessum est. Quòd si subinde in aliqua Provincia, vel loco ob certas circumstantias id etiam respectu Laicorum aut simplicium Sacerdotum necesse, vel expediens videatur, poterunt hi ex libris præsertim Controversisticis Catholicis pro statu suo sufficienter se informare ad hunc finem; aut, si speciales circumstantiæ etiam Lectionem libri *hæretici* exigerent, facultatem ad hoc impetrare vel immediatè à Sede Apostolica, vel ab Episcopo loci; cùm juxta dicta omnes Episcopi Germaniæ, & aliarum Provinciarum *Hæresi* infectarum habere soleant specialem facultatem libros *hæreticos*, & hanc facultatem etiam aliis saltem sacerdotibus communicandi juxta dicta *n.* 65. 87

Vel denique quia in his partibus fere omnes *Hæreticorum* libri, etiam Medici, Historici, Philosophici, Politici, unam, vel plures *Hæreses* inspersas habent, vel aliquid de *Religione* incidenter tractant; difficile autem, & quasi impossibile foret in his partibus abstinere à Lectione, & Retentione omnium librorum *hæreticorum*. Verùm 88